19543/A
B.xxiv. Cam
DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 390
COLLECTION

70311

VITA
TH. CAMPANELLÆ.

AUTORE

ERN. SAL. CYPRIANO.

Accedunt hac ſecunda Editione

APPENDICES IV.

Doctorum Virorum de CAMPANELLÆ *Vita, Philoſophia & Libris ſchediaſmata complectentes.*



AMSTELODAMI,
Apud WETSTENIOS.
cIↃ DCCXXII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO

ERNESTUS SALOMON CYPRIANUS, *Th.* D. *Conſiliarius Conſiſtorialis & Eccleſiaſticus Gothanus.*

S. P. D.

QUi fontem turbant atque commaculant, e quo aquarum affatim hauſerunt, ſitimque reſtinxerunt ſuam, unanimi bonorum virorum judicio inhumaniter feciſſe exiſtimantur. Quamobrem permirum eſt, virum moderati ingenii, &, ſi argumentum Dominicanis libris fructuoſius trac-

tare voluiſſet, claritudinem nominis obtenturum, JACOBUM ECHARDUM, conventus SS. annunciationis Pariſienſis monachum Dominicanum,* cum, quæ ego de Campanellæ vita collegeram, nuper de induſtria exſcripſiſſet, non potuiſſe tamen collectoris meminiſſe ſine contumelia.

Ante annos XXII. in Academia Julia Philoſophiæ publica Profeſſio mihi demandata eſt, a qua, Coburgum ad rectionem collegii Caſimiriani evocatus, honeſtam miſſionem, eamque Auguſtiſſimi Magnæ Britanniæ Regis, GEORGII, autographo ſignatam impetravi. Ceterum, ex more in Academiis Germaniæ recepto, invitabam tum Philoſophiæ ſtudioſos ad lectiones publicas peculiari programmate, quo de Cam-

* *Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ann.* 1721, *edito, p.* 505. *ſqq.*

Campanellæ vita & Philoſophia exponebatur. Quæ proluſio cum viris doctis probata eſſet; amicorum rogatu anno cIↃIↃCCV. Amſtelodami pleniorem de hoc argumento libellum edidi: quanquam in eo ne mihi quidem ſatisfacere licuit, ob commutatam Studiorum meorum rationem, quæ tempus in philoſophia conſumere neutiquam permitteret. Ego vero, ut dicam, quod res eſt, id agebam unice, ut alii ad reconditam Campanellæ philoſophiam ſtudioſius perquirendam, velut monitione mea, excitarentur. Putabam enim, naturam nondum deſſisſe Platones, aut Ariſtoteles procreare: quorum in numero locum ſibi haud dubie feciſſet Campanella, ſi idoneos ſapientiæ & linguarum doctores juvenis inveniſſet.

Multa in illo opuſculo ad cen-

ſuram revocavit doctiſſimus Echardus, quæ breviter excutiam, ne in re parva magnas lites ſequi, aut tempus, cujus unius avaritia honeſta eſt, gravioribus negotiis ſurripere velle videar.

Ac initio quidem homini peregrino facile condonandum arbitror, quod me, in Franconia orientali natum, Saxonem vocat, & collegii Caſimiriani in Academia Julia, quale ibi nullum eſt, directorem facit. Quod autem ea, quæ ex Caſſæ epiſtola attuleram, ob Campanellæ ſilentium bellulæ fabellæ nomine exagitat; id ſatis oſtendit, virum doctum neque vim negantis argumenti perſpectam habere; & additam illi narrationi cautionem proviſionemque meam aut negligenter prætermiſiſſe, aut illaudabili

li preſſiſſe ſilentio. Diſerte enim ſcripſi: *Adhibeant his, quibus volupe eſt, fidem.*

An Campanella res novas molitus in rebellium numero habendus ſit, ego ſane parum laboravi. Cum Hiſpaniarum ſtatus adminiſtris hanc rem tranſigat Echardus, non mecum, quem, hiſtorici muneris menſuram impleturum, oportuit ſane capita accuſationis referre, qualia ab Hiſpanis publicata eſſe ipſemet Echardus prolixe docuit, & ſectæ ſtudio copioſius, quam doctius, ivit exploſum.

Suſpicione atheiſmi non caruiſſe Campanellam, adeo eſt exploratum, ut Echardus Æthiopem ſuum minime dealbet iſta criminatione: *Hæc heterodoxorum ex odio Catholicæ Roma-*

manæque eccleſiæ profecta judidicia parvi pendet lector eruditus & candidus. Etenim ſi vera ſunt, quæ Hiſpani & alii Pontificiis ſacris addicti ſcriptores de eo commemorarunt, certiſſimum eſt, omnium religionum, & cumprimis quidem Moſaicæ ac Chriſtianæ irriſorem fuiſſe: cujus rei luculentiſſima teſtimonia, ex ejus libris colligere facillimum foret, ſi quidquam inde utilitatis in publicam rem poſſet proficiſci. Caſſam Catholicæ eccleſiæ deſertorem fingit Echardus, quem viri prudentes non Catholicam, ſed Romanam eccleſiam, poſtquam in ea non *doceri*, ſed *comburi*, errantibus pœna conſtituta eſt, deſeruiſſe exiſtimant. Et quid prohibet, quominus heterodoxi ex libris Campa-

panellæ pervideant, num ſit inter atheos annumerandus? Quàm vellem, legiſſet Echardus, quæ Romanæ ſuperſtitionis flagellum, Joannes Launojus, traditionis Romanæ eccleſiæ circa Simoniam obſervatione XX. p. 436. & opere de regia in matrimonium poteſtate p. 520. de hæreticorum teſtimoniis congeſſit! Ibi enim Romanæ curiæ adulatorum artificium plane detectum eſt, quo rejicitur, quidquid hæretici profeferunt; ac ſolide demonſtratum, œcumenica concilia & ipſos pontifices eorum teſtimoniis ſæpenumero uſos, quos curia, tanquam hæreticos, occiſum ire aſſolet.

Sed in Echardo bonitatem naturæ, & hauſtam e Gallicanæ eccleſiæ principiis modera-

tionem animi vicit heic odium in hæreticos, quandoquidem momordiſſe me ait conſilium Campanellæ, a ſe non obſcure probatum, quo is docuerat, ſatius fuiſſe, ſi Carolus V. ſub alio prætextu Lutherum, ſtatim poſt comitia Auguſtana, technis oppreſſiſſet: Addit, Guilielmum Arauſiacum, & alios Principes Proteſtantium, ut ſuas dominationes ſtabilirent, antiquam religionem evertiſſe: quod me cogitare oportuiſſet prius, quam culpare Campanellam. At non momordit quidem iſtud conſilium, quia brutum & inane; diſplicuit tamen valde, quòd Chriſti diſcipulo indignum, egoque a juris naturæ & gentium doctoribus ita inſtitutus eſſem, ut etiam rebellibus fidem ſervandam,

dam, & in itu cautum & de reditu arbitrarer; ne inutile, imo noxium beneficium exiſteret. Principes Proteſtantium conſtabiliendæ dominationis cauſa antiquam religionem evertiſſe, falſò ſcribit Echardus, niſi forte Pontifices Romani ipſos throno motos voluerunt. Nam nec alii Principes, nec ſubditi quenquam noſtrorum, quod ſciam, avitis bonis auctoritateque privatum ivere; ac vereor, ut eam, quam Proteſtantibus affingit, deſtinationem idoneis argumentis evincat Echardus: quod ſi poſſet, non tamen inde conficeretur, perfidiam Carolo V. ullo jure fuiſſe conceſſam.

Sed non vacat cum viro docto altercari, cui gratiam Dei fauſta omnia complexam apprecor.

Va-

Vale, Lector, & libellum hunc, amicorum, fruſtra eum apud bibliopolas quærentium, ſuaſu recuſum, propter laborum copiam accurari nequiviſſe, humaniter cogita. Scrib. Gothæ CIƆIƆCCXXII. pridie nonas Martias.

VITA
ET
PHILOSOPHIA
THOMÆ CAMPANELLÆ.

CAPUT PRIMUM.

Campanellæ ortus, ſtudia, fata.

CLarorum virorum proventu florens Calabria cum alios multos acutiſſimo ingenio homines peperit, * tum Thomam Campanellam, virum maximarum rerum ſcientiâ, ſtupendoque mentis

tis

* Campanella lib. II. aſtrologicorum cap. II. p. 65: *Calabria mea, olim magna Græcia, ſuper totum orbem effudit ſcientias Pythagoricas, mathemata, & ſtellarum, & conſtructionis mundi notitiam, quæ obliterata reſurgit nunc in Pruſſia ſub Copernico, & in Tuſcia ſub Galilæo.*

tis acumine illuſtrem, cujus doctrinæ ac conſuetudinis imaginem levi ſcripturæ genere jam exprimemus, orbi litterato dedit. Is anno CIↃIↃLXVIII. Styli, quod Calabriæ oppidum & Guilielmo Sirleto aliisque eruditis patria fuit, honeſtæ conditionis parentibus ortus, recta ſtudia ab ineunte ætate amavit, ac puer quinquennis, quicquid a præceptoribus tradebatur, memoriâ complexus ſigna ingenii edidit non contemnenda. Tertium decimum ætatis annum agens Grammaticorum Poëtarumque inſtitutis abundabat, fundebat carmen, ac promte recolens rerum geſtarum memoriam, aſſequendæ laudis ſingularem expectationem ſuſtinebat, quam plane ſuperaſſet, ſi in præceptores incidiſſet non adeo barbaros, comparaſſetque ſibi, quæ ingenii lumen eſt, eloquentiam, ac ſtyli decus. Autor eſt Janus Nicius Erythræus, Campanellam annos natum non amplius tredecim intra monachorum clauſtra, qui Dominici præcepta ſequuntur, ſe concluſiſſe. Verum Campanellæ major nobis validiorque autoritas eſt, qui ſe ſcribit in Dominicanorum

ſocie-

ſocietatem conceſſiſſe annum jam decimum quartum menſesque aliquot egreſſum. Quanquam & hæc ætas parum apta fuit ad deligendam vitæ rationem, eſtque Campanella certo genere curſuque vivendi ante implicatus, quam potuit, quod optimum eſſet, judicare. Cujus excellens ingenii magnitudo ſi ſpatium deliberandi habuiſſet, quem potiſſimum curſum vitæ ſequi vellet, conſilium procul dubio ad ſuam indolem revocaſſet, contuliſſetque ad civile aliquod, ac in rebus gerendis occupatum, non obſcurum illud, quo monachi capiuntur, vivendi genus. Cæterum juvenis noſter, quantum conniti animo potuit, quantum labore contendere, in earum rerum inveſtigatione, quas non attingunt vulgaria ingenia, nec recludit Ariſtotelicæ Philoſophiæ methodus, tempus omne conſumebat, inſolensque ſtudium ad arcanam convertebat ſapientiam, quam ὀπτικὴν ἐπιςήμην veteres, nos artem magicam appellamus. Sunt, qui plane inſolitam diſcendi progreſſionem ei adſcribant, quod non meis, ſed doctiſſimi ſenis, Caroli Caffæ, olim in Italia

monachi, inde apud Jenenſes exoticarum linguarum publici doctoris, ſtylo verbisque commemorabo. Ita autem ille in litteris ad Joannem Andream Schmidtium, Theologum Helmſtadienſem omni pietatis doctrinæque laude clariſſimum: *Non tacebo, quod a Patre quodam Dominicano, S. Theologiæ Magiſtro atque Doctore ferme octogenario (qui Campanellæ condiſcipulus fuerat in conventu Conſentino citerioris Calabriæ, ſtudia cum eodem frequentans) narratum audivi, fuiſſe ſcilicet dictum Thomam Campanellam in ſua juventute, inter omnes commilitones ſuos & connovitios, rudioris admodum Minervæ, adeo, ut in contemtu haberetur & riſu. Quid tum? Accidit die quodam, ut caſu, dum per clauſtrum deambularet, in peregrinum incideret, qui per idem clauſtrum deambularet, quem juvenis ſtudioſus, frater Thomas Campanella, ſecum in muſeolum ducens cum eodem per continuum octiduum ſeorſim ab aliis exercitiis & connovitiis ſuis vixit. Poſt dictum tempus alium ſe hominem oſtendit ingenii habilitate, illumque deprehenderunt in omnibus ſuis exercitiis & ſtudiorum operationibus*

nibus diverſum ab eo, qui antea fuerat. Hoc dictus pater octogenarius, ei condiſcipulus, mihi narravit de Campanella, adjiciens, dictum peregrinum fuiſſe Rabbinum quendam, qui cabbalæ cujusdam beneficio per pauca & breviſſima principia tantum Campanellæ lumen indiderit, ut in tantum virum, tamque admirandum excreſcere brevi potuerit. Diſcipulos Campanellæ in re medica ipſe novi, qui mira præſtabant in praxi, & Galeniſtas, & Hippocratis aliorumque excellentiſſimorum medicorum diſcipulos perſtringebant, convincebant, confundebant, & multa arcana medica ex ipſo verbo Dei, non ſine omnium admiratione, ſumma cum ſapientia & eruditione, patefaciebant. Adhibeant his, quibus volupe eſt, fidem; nos Campanellam naturâ arbitramur libertatis ac doctrinæ cipididiſſimum, inſtructumque vaſto ingenio fuiſſe, qui cum illam philoſophiæ peſtem, ſtudium acre ſemel electarum partium, & præjudicium autoritatis, quod non ſinit rerum cognoſcere cauſas, in doctoribus ſuis, uni Ariſtoteli addictis, animadvertiſſet, quanto maximo conatu poterat, in libertatem ſe vindicavit.

 Quæ

Quæ res quo fuit in monaſteriis inſolentior, eo majore cæteros admiratione perſtrinxit: quibus cum aliud non ſuppeteret conſilium, Campanellam inter hæreticos nominarunt. Statuerant quippe ad ſapientiam iter facientibus unum Ariſtotelem ducem, nec ferre poterant ſive dictamen rationis, ſive experientiam, Philoſophi aſſertis anteponentes. Ariſtotelis vox ubique ſonuerat hactenus, non in Philoſophorum tantum, ſed etiam in Theologorum ſcholis, ut vel res humanæ mentis captum excedentes ad Stagiritæ placita exigerentur. At impatiens ſervitutis Campanella ad ſanæ rationis normam cuncta revocabat, ne doctiſſimis quidem ſine cauſa præbiturus fidem. Hac mente res ipſas intueri, nec alienis videre oculis conſuevit, quod crederet, veritatem in ipſo Deo ac creaturis deliteſcere, ac tantum veri in doctorum ſermonibus eſſe, quantum ad naturam rerum, quas exponunt, conformati eſſent. Quem morem ſuum ipſe prodit in ſyntagmate de libris propriis ſub initium. *Cum doctores*, ait, *meis argumentis ſatisfacere non poſſent, quæ contra*

ipſo-

ipſorum lectiones promebam; ſtatui ipſe libros omnes percurrere, Platonis, Plinii, Galeni, Stoicorum & Democriticorum, præcipue vero Teleſianos, ac cum mundi codice primario conferre, ut ex originali & autographo, quid veri exemplaria habent, & quid falſi, agnoſcerem. Veritatis ea virtus eſt atque indoles, ut tanto majus ſui deſiderium excitet, quo fuit accuratius cognita. Quare cum inter frequentes fabulas ac fraudes, quibus ſui commodi cauſa monachi aliis detrahunt, ſapere cœpiſſet, eſſetque & naturâ veri amans, & perſpectâ fraudum frequentiâ ad dubitandum pronior, ſimul etiam clara veritatis perceptione concitatior factus; nulli ſententiæ deinceps ſine inveſtigatione aſſenſus eſt, multo minus in cujusquam obſequia juravit, adèo quidem, ut quarto Poëticorum ſe ſcriberet dubitaſſe, an Carolus Magnus unquam fuiſſet in mundo. Hanc ſtudiorum rationem dum ſequitur Campanella, accidit, ut is, quem in Philoſophia præceptorem habebat, a Franciſcanis ad publicum certamen evocaretur Conſentiam, qui, cum morbo

prohibitus adeſſe non poſſet, Campanellam in locum ſuum ſubſtituit, imperata obedienter facturum. Non aliam diſputationem acriorem fuiſſe proditum eſt memoriæ. Urgebat Franciſcanum Thomas, obtundebat, ac demum ea cum laude vincebat, ut dicerent auditores, Teleſii animam in Campanellæ corpus migraſſe. Qua voce incenſus eſt noſter cupiditate ſciendi, qui vir fuiſſet Teleſius, de quo hactenus nihil habuerat compertum. Cæterum Bernardinus Teleſius, Conſentinus, paullo ante plenum invidiæ opus ſuſceperat, ſcripſeratque adverſus Ariſtotelem, quem tum ſequi in more poſitum erat divini cultus rectoribus ad unum omnibus, edideratque Neapoli CIƆIƆLXXXVI. ex officina Salviana, de rerum natura juxta propria principia libros novem ad Ferdinandum Carafam, Nuceriæ ducem, cujus in præfatione opem adverſus Peripateticorum, qui proſcribere virum poterant, injurias calumniaſque imploraverat. Qui libri cum ſint difficiles inventu, adſcribemus eorum procemium, ut judicare lectores de Teleſii inſtituto, quod imitatione

tione conſecutus eſt ac ſuperavit Campanella, ſine moleſtia poſſint. *Qui ante nos*, inquit, *mundi hujus conſtructionem, rerumque in eo contentarum naturam perſcrutati ſunt, diuturnis quidem vigiliis, magnisque illam indagaſſe laboribus, at nequaquam inſpexiſſe videntur: quid enim iis illa innotuiſſe videri queat, quorum ſermones omnes, & rebus, & ſibi etiam ipſis diſſentiant, adverſique ſint? Id vero propterea iis eveniſſe exiſtimare licet, quod nimis forte ſibi ipſis confiſi, nequaquam (quod oportebat) res ipſas, earumque vires intuiti, eam rebus magnitudinem, ingeniumque & facultates, quibus donatæ videntur, indidere. Sed veluti cum Deo de ſapientia contendentes, decertantesque, mundi ipſius principia & cauſas ratione inquirere auſi, & quæ non invenerant, inventa ea ſibi eſſe exiſtimantes, volentesque veluti ſuo arbitratu mundum effinxere. Itaque corporibus, e quibus conſtare is videtur, nec magnitudinem poſitionemque, quam ſortita apparent, nec dignitatem viresque, quibus præditæ videntur, ſed quibus donari oportere propria ratio dictavit, largiti ſunt. Non ſcilicet eo usque ſibi homines*

placere, & eo usque animo efferri oportebat, ut veluti naturæ præeuntes, & Dei ipſius non ſapientiam modo, ſed potentiam etiam affectantes, ea ipſi rebus darent, quæ rebus ineſſe intuiti non forent, & quæ ab ipſis omnino habenda erant rebus. Nos non adeo nobis confiſi, & tardiore ingenio, & animo donati remiſſiore, & humanæ omnino ſapientiæ amatores cultoresque (quæ quidem vel ad ſummum perveniſſe videri debet, ſi quæ ſenſus patefecerit, & quæ e rerum ſenſu perceptarum ſimilitudine haberi poſſunt, inſpexerit) mundum ipſum, & ſingulas ejus partes, & partium rerumque in eo contentarum paſſiones, actiones, operationes & ſpecies, intueri propoſuimus. Illæ enim recte perſpectæ propriam ſingulæ magnitudinem; hæ vero ingenium, viresque & naturam manifeſtabunt. Ut ſi nihil divinum, nihil admiratione dignum, nihil etiam valde acutum noſtris ineſſe viſum fuerit; at nihil ea tamen vel rebus, vel ſibi ipſis repugnent unquam; ſenſum videlicet nos, & naturam, aliud præterea nihil ſecuti ſumus, quæ perpetuo ſibi ipſi concors, idem ſemper & eodem agit modo, atque idem ſemper operatur. Nec tamen (ſi quid eorum,

rum, quæ nobis poſita ſunt, ſacris litteris, catholicæ eccleſiæ decretis non cohæreat) tenendum id, quin penitus rejiciendum aſſeveramus contendimusque. Neque enim humana modo ratio quævis, ſed ipſe etiam ſenſus illis poſthabendus, & ſi illis non congruat, abnegandus omnino & ipſe etiam ſenſus. Teleſii ſemitâ hacce nunquam ceſſit noſter, ejusque libris & propter libertatem in dicendo, & propter ſtudium perquirendi rerum cauſas, maximum ſemper pretium ſtatuit: quos cum Antonius Marta, Neapolitanus, edito libro, quem pugnaculum Ariſtotelis vocaverat, cuique exaſciando annos undecim inſumſerat, impugnaſſet; Campanella confectis, undecim menſium ſpatio, octo diſputationibus, quæ Neapoli ab Horatio Salviano impreſſæ habentur, Martæ lucubrationes confutavit. Ipſe autem Neapolim profectus, ut librum ſuum Salviano imprimendum traderet, atque e navi egreſſus, cùm Franciſcanorum quoddam cœnobium præteriret, hominumque frequenti ingreſſu cognoſceret, horam illam eruditis concertationibus deſtinatam nemini non contra-

tradicendi facultatem concedere, ſubito acceſſit, theſes monachorum ſub examen revocaturus. Quod etiam eâ verborum copiâ, eo mentis acumine fecit, ut ab omnibus laude in cœlum efferretur. Non ita multo poſt eundem in locum ſe contulit, cum ſeniore quodam theologo certamen initurus. Hîc vero repulſam tulit, veluti juvenis rerum divinarum ignarus. Nec vero orare ante deſtitit, quam impetraret diſputandi facultatem, vide, inquiens, quam ego ſim harum rerum imperitus, ut demonſtrare poſſim, in earundem magna te ignoratione verſari. Ac ſtatim ſacrarum litterarum teſtimoniis convictus ſenex faſtus ſui pœnas dabat, nullo Campanellæ emolumento. Hæc quippe victoria multa ei bella peperit, ſene illo juvenem coram Pontificiæ religionis arbitris veneficiorum accuſante, cum ſtupendæ eruditionis ſigna daret, neque tamen addidiciſſet theologiam. Conſulturus itaque ſibi, Romam abiit, *fugiens*, ut ipſe loquitur, *accuſantes æmulos: quomodo litteras ſcit, cum non didicerit?* Cum vero & ibi calumniis obrueretur; Flo-

Florentiam, Venetias, Pataviam, Bononiamque conceſſit, ubi libris ſuis furtim privatus eſt. Pataviam reverſus cœpit Empedoclis philoſophiam reſtaurare; ac multos libros adornavit, quos Romam perductus omnes ac ſingulos amiſit; cæteros vero, quorum Boloniæ fecerat jacturam, penes Romanos fidei inquiſitores, ut vocantur, conſcientiarum tortores, invenit defenditque ex vinculis. Nec mirum eſt, totam monachorum gentem incredibili odio Campanellæ flagraſſe, quippe cum Teleſium ſectaretur, cujus libris prohibitorum librorum indices præcipuum locum conceſſiſſent, ſimul & contra Ariſtotelem inſurgeret, cujus præceptis inſtitutiſque, præ Chriſti illis, monachi abundabant. Docebat quippe, libro de Gentilismo non retinendo, non omnem novitatem in eccleſia & republica jure ſuſpectam eſſe, ſed admirabilem reddere politiam ac religionem, & extraneos in ſui admirationem allicere; Ariſtotelem maximo Chriſtianæ reipublicæ malo in ſcholas introductum eſſe, eo tempore, quo clerici ne quidem legendi peritiâ

ritiâ inſtructi eſſent; Canum recte judicaſſe, a ſciolis ævi ſui Ariſtotelem pro Chriſto haberi, addebatque, Stagiritam peſtem eſſe Chriſtianorum. Etſi autem Ariſtotelica Philoſophia illud honoris faſtigium inter monachos obtinuerat, unde eam non poterant non publici commodi amantes deturbare; videtur tamen Campanella in exuendo autoritatis præjudicio paullo longius proceſſiſſe, non in eo ſolum, quòd plane inſolitam ſapientiæ opinionem ſibi induit, libriſque ſuis, non ſine ſuperbiæ ſuſpicione, ſemper inſcripſit illud Teleſii: *ſecundum propria principia*; verum etiam quòd veteres ferme omnes nullo loco numerat, quaſi per illos nihil omnino profeciſſet. At quemadmodum pygmæus humeris gigantis inſidens longius, quam gigas, proſpicere, neque tamen ſe gigante majorem habere, aut ſibi multum tribuere poteſt; ita nos veterum laboribus vigiliisque in noſtros uſus converſis adjicere aliquid, non ſupercilia tollere, aut parvi facere, qui ante nos fuerunt, debemus. Pone enim, te neminem Philoſophum vel audiviſſe unquam,

quam, vel legiſſe, nec ab aliis quicquam ſapientiæ hauſiſſe, ſive ad confirmationem connatæ veritatis, & honeſti turpisque diſcrimen, ſive ad uſus vitæ ſpectet, cauſasque rerum & conſequentia exponat; ſane hac tua philoſophia nec te multum juvabis, nec ad communem utilitatem jucunditatemque ſatis recte conſultabis. Ac cernitur velut in luce rectum antiquitatis de rebus plurimis judicium ex artium progreſſu, qui nullus eſſe poteſt, ubi rerum natura indolesque ignoratur. Equidem occurri in hac diſputatione ſolet, Carteſium omnem a veteribus inventam veritatem in dubium revocaſſe, eoque exemplum præbere Philoſophi nullâ aliorum induſtriâ promoti. Verum nec ſemper hac via ſatis feliciter proceſſit Carteſius, nec poteſt ab intelligentibus negari, etiam repugnanti, aut non ſentienti, ſæpe veritatem a veteribus detectam obrepſiſſe, ac radios ſuos occluſis foribus, quaſi per rimas diffudiſſe. Attulit ſane multarum rerum cognitionem aliunde acquiſitam, cauſasque & adjuncta, ſimul etiam contraria iis, quæ cognoſcenda

cenda erant, perſpecta habuit, quam notitiam ſi in dubitationis ſuæ ingreſſu veluti extra ſe projecit, in progreſſu tamen ejus magnopere indigebat, cum dubitare de plane incognitis nemo poſſit. Non vacat igitur Campanellæ inſtitutum quadam ſuperbiæ ſpecie, ab omnibus diverſum ac plane novum iter inſtituentis. Percurrere omnes Philoſophorum ſectas, ac quodcumque maxime probabile occurrit, undique colligere noſtro jure poſſumus. At negligere veteres omnes, ac omnino novas & peculiares ſcalas conficere, quibus adſcendas ad ſapientiæ faſtigium, intolerabilis eſt arrogantiæ. Neque enim divina bonitas omnes ac ſingulos antea veritatis ſtudioſos fuſtra laborare ſivit, ut ſine eorum adminiculis, brevi vitæ tuæ ſpatio, plus te ſciturum ſperare poſſis univerſo genere humano. Cæterum etſi novitatis ſtudium doctiſſimum hominem in ſummam conjecit miſeriam, exitioque fuit Campanellæ; acceſſit tamen cauſa alia, quæ ſive vera, ſive ab inimicis conficta fuerit, Peripateticorum accuſationi magnam veri ſpeciem conciliavit. Bene Cicero: *Quo*

quis

quis verſutior atque callidior eſt, hoc inviſior & ſuſpectior, detracta opinione probitatis. Quare cum Campanellam profanum hominem eſſe ac ſacrorum irriſorem plerique exiſtimarent, facile fides adhibita eſt dicentibus, nova eum cupere, ac ſibi ipſi imperium moliri. Enarrabimus proditionem, cujus inſimulabatur, verbis Cæſarii a Branchedoro, Taurinenſis, qui in oratione præmonitoria * de ortu Pontificum hæc habet: *Omnium fidem ſuperarent, ſi quæ noſtrâ memoriâ atque nuper adeo Dominicanus Monachus fuit molitus, eventum ſortiri potuiſſent. Is eſt frater Thomas Campanella, etiamnum in vivis, & fruitur aura ſqualidi carceris Neapolitani. Qui elati ingenii monachus, cum nullo eſſet apud Romanos numero, & ad magna procedere ſeſe poſſe deſperaret, præſentem vitæ ſtatum ſtomachatus, Româ in regnum Neapolitanum conceſſit, novam ibi religionem, novumque imperium ſpirans. Sed homo nudus & incuſtoditus cum rem*

* *Extat in Monitis politicis de curia Romana potentia moderanda, editis Francofurthi* 1611. *impenſis Petri Kopffii.*

rem tantam tamque arduam aggredi non valeret, nec peſtiferi ſui virus contagione Proceres ulli inficerentur, armis ſibi viam faciundam ſatius duxit. Itaque cum Turcis de Crotone, nobiliſſima Italiæ in ſinu Tarentino civitate, quam ille inſtituto ſuo peropportunam ratus unice delegit, tradenda & conſignanda pepigit, Zigalemque Baſſam cum claſſe Turcica evocavit. Ea in poteſtatem redacta, cogitabat cum exercitu ad montana Calabriæ rectis itineribus contendere, illisque occupatis atque inſeſſis, excogitatæ ſuæ religionis leges & cæremonias, tanquam a Deo in montium faſtigiis acceptas, prorogare, & mellito eloquentiæ flumine, cujus naturali ſuavitati cuncta exorabula advocatorum, & decipulas magorum, & artificia dicentium facile conciliavit, inundatos vulgi animos ſcite permulcere, & ad imperata ſibi facienda conformare. Ad hunc enim modum dictitare ſolet omnes legum latores nova orſuros imperia, omnesque generis humani ſeductores, horrorem mandatis ſuis & obſequelam paraſſe, ut montana in ſpeciem religionis, ſed revera ſui cauſa præſidii, adverſus repentinos tumultus aut finitimorum vim, anticiparent, ita Nembro-

brodum, Abrahamum, Moyſem, Davidem, ipſum Chriſtum (ignoſce, o mitiſſime Domine Jeſu, qui, ut nos liberos atque reges conſtitueres, ſervus fieri voluiſti, quod bipedum iſtius ſceleſtiſſimi atque ſacerrimi nebulonis blasphemias ingratiſſimo tuo generi cogor exprobrare) ita Minoëm, Numam, Mahometum, alios feciſſe, aſſeverat. Non cogitavit homo miſer, non bellorum, ſed pacis auctorem Deum eſſe, & cæteras religiones, quippe falſas, vi aut aſtu fundatas, ſolam Chriſtianam, ut veram & unicam, juſtitiâ, lacrymis, precibus ſtabilitam fuiſſe, veteres Chriſtianos occidi, quam occidere maluiſſe, ſic cognominatos, quod fidei ſuæ teſtimonium proprio ſanguine obſignaverunt. Verum, dum ita totius Italiæ imperium animo ſuo agitat, & jam claſſis Turcica in alto apparet, ab uno ex complicibus, ſive atrocitate inauditi facinoris, patratuque periculoſiſſimi, territo, ſeu pœnitentiâ (ut ajunt) conjurationis ducto, proditio detegitur, Campanellaque captus & vinctus Neopolim perducitur. Quo in carcere ubi plusquam Spartana nobilitate crudelia tormentorum genera ſuperavit, de Proregis ſententia ad perpetuam cuſtodiam

condemnatus. Erythræus in Pinacotheca prima, qua repoſuit Campanellæ imaginem, de hac re ita loquitur: *Neapoli perduellionis reus factus, quod regnum illud hoſtibus prodere conatus eſſet. Cujus criminis ſuſpicione conjectus in carcerem, quinque & viginti in eo annos, omnibus confectus miſeriis exegit, & in primis ultimum vitæ diſcrimen adiit; cum quæſtione de eo quinque & triginta horis dire ac crudeliter habita, omnes circa ſedem venæ arteriæque tormentorum immanitate diffractæ, eam vim ſanguinis emiſerunt, ut ſiſti non poſſet.* Etſi autem flagitii compertus non videtur; non apparet tamen, qua ratione exſolvi ſuſpicione penitus poſſit, cum ipſe Tobias Adami, Campanellæ vindex acerrimus, in præfatione prodromi Philoſophiæ inſtaurandæ ſic ſcripſerit: *Etſi autem vir iſte, cum donis ſuis abuti velle viſus eſſet, occulto Dei judicio ad frugem ipſum revocante, ingentibus miſeriarum fluctibus, tanquam exemplar fragilitatis humanæ, involutus ſit, quibus inimica ſors ipſum quaſi infra ſeipſum inexplicabili afflictione dejecit, ut ne adhuc quidem emergere, poſt tot annos ex hoc ærumna-*

narum oceano potuerit; caſtigatione tamen hac admonitus eo reſipiſcendo anniſus eſt, ut & ſui & publici boni ergo indefatigabili diligentia mirabilem in modum proficeret. Eſt autem in carcerem conjectus circa annum CIↃIↃXCIX. ut ipſe refert libro V. aſtrologicorum, capite II. articulo I. nec ſolus comprehenſus eſt, ſed calamitatis ſocios habuit, quos ibidem cruciatos ac peremtos eſſe commemorat. Quocirca Tobias Adami in dedicatione librorum de rerum ſenſu, quos anno CIↃIↃCXX. in lucem emiſit, Campanellam refert continuos viginti annorum carceres pertuliſſe. Cæterum variis carceribus incluſus fuit. De Neapolitanis ipſe quædam habet articulo III. de libris propriis. *Scripſi*, inquit, *Neapoli in caſtro Ovi Philoſophiam rationalem in partes quatuor, & addidi quintam in arce nova.* Sed fidem propemodum omnem ſuperant, quæ jam anno MDCVII. de cruciatibus carceribusque ſuis in procemio atheiſmi triumphati ad Scioppium retulit. Iſta hactenus inedita nuper ex codice Jenenſi manu ſcripto in lucem emiſit vir clariſſimus, D. Burcardus Gotthelff Stru-

 vius,

vius, & actorum litterariorum faſciculo ſecundo inſeruit. Multa ſunt, fateor, quæ huc pertinent. Sed quoniam inde lux quædam univerſæ huic de vita Campanellæ commentationi affulſura eſt, adſcribi ea plane videtur neceſſarium. *Vide quæſo*, inquit, *ſimne aſinus ipſorum, qui quidem jam in quinquaginta carceribus hucusque clauſus afflictusque fui, ſepties tormento duriſſimo examinatus. Poſtremumque perduravit horis quadraginta, funiculis arctiſſimis oſſa usque ſecantibus ligatus, pendens manibus retro contortis de fune ſuper acutiſſimum lignum, qui carnis ſextertium in poſterioribus mihi devoravit, & decem ſanguinis libras tellus ebibit: Sanatus tandem poſt ſex menſes divino auxilio, in foſſam demerſus ſum. Quinquies citatus in judicium, primo cauſam dixi interrogantibus, qui litteras ſcit, cum non didicerit? ergone dæmonium habes. At ego reſpondi, me plus olei, quam ipſi vini conſumſiſſe, & mihi ab eis dictum fuiſſe ſacra ſuſcipienti: accipe ſpiritum ſanctum. ——— Secundo accuſatus, quod tempore nocturno quid contra prælatum paraverim, quod ſane mihi non modo propter Philoſophiam id non admit-*

admittenti, ſed viſus defectu laboranti, impoſſibile erat. --- Deinde accuſarunt me, quod compoſuerim librum de tribus impoſtoribus, qui tamen invenitur typis excuſus annos triginta ante ortum meum ex utero matris. Deinde quod ſentirem cum Democrito: quoniam ego jam contra Democritum libros edideram. Item quod de eccleſiæ republica & doctrina male ſentirem, cum tamen ipſe de monarchia Chriſtianorum ſcripſerim, ubi oſtendi, nullum Philoſophum potuiſſe ſic rectam depingere rempublicam, ut Romæ ab Apoſtolis inſtituta eſt. Item quod ſim hæreticus; ego autem ſcripſeram dialogum contra hæreticos noſtri temporis. ——— Nunc tandem me rebellem hæreticumque fecerunt, quoniam prædico ſigna in ſole & luna & ſtellis contra Ariſtotelem æternantem mundum. --- Hoc autem facinus rebellionis molimen eſſe interpretantur, quicunque Macchiavelliſtico ſunt animo, putantes omnem doctrinam & conatum eſſe dominandi gratia excogitatum, & poſuerunt me ſicut Jeremiam in lacu inferiori, ubi nulla lux, nullus aër. ——— Nec tamen unquam de ſtabulo fugi ad Turcas, neque ad hæreticos, cum poſſem. Multa

 hinc

hinc innoteſcunt accuſationis capita, quæ etſi vana eſſe omnia contendit, poſtea tamen, lapſum ſe in multis, ac callida agitaſſe conſilia, non obſcure faſſus eſt. *Ego*, inquit, *non me bonum vendico, ſed unum ex his ſceleſtiſſimis.* ——— *Hoc ergo tantum aſſero, eos non habere contra me tantum, quantum ſufficit meo judicio ad punitionem meam. Nemo injuſte punitur, ſed multi injuſte agunt. At etſi diabolus eſſem, inauditus mori contra canones & leges non debeo: præſertim cum pollicear eccleſiæ Dei tot tantaque beneficia, ipſique regi. Quid prodeſt regi & eccleſiæ mors mea? At ſi promiſſa præſtitero, ingentia bona erunt illis.* Quippe qui præſentium pertæſi res novas rerumque publicarum mutationes imminere nuntiant, cum viles habeantur & a veritate remoti, donec nuntiata evenerint, non poſſunt non trahi novandi ſtudio, de novis cogitare, loqui, ſcribere, pronisque auribus excipere irrequietorum voces, & quicquid præter morem ordinemque acciderit, arripere tanquam novi regni præludia. Nec deſunt hujusmodi vatum exempla, vires ſuas qualescunque conferre

ad

ad præſentium ſubverſionem maturantium, in quibus ſi quis Campanellam poneret, quod armis non poſſet, calamo eminus cominusque pugnantem, non videretur ei facere injuriam. Cæterum Campanella plurimos in cuſtodia libros confecit, quorum pars magna ei anno MDCXI. in caſtro Ovi ablata eſt a nuntii apoſtolici quodam domeſtico, perquirere juſſo, quicquid Campanella litterarum monumentis conſignaſſet. Anno MDCVIII. miſſus eſt Caſpar Scioppius a Paulo V. Neapolim, ut vinculis noſtrum liberaret, cum quo ei jam ante conſuetudo interceſſerat. Sed hos conatus eluſit Hiſpanorum immanitas, Fuggerorum quoque ſpem, qui captivi hominis laudabilem curam agebant, aliquoties fruſtrata. Fuit tamen peregrinis aliisque poteſtas facta, noſtrum conveniendi, cumque eo familiares conſerendi ſermones: qua Germani multi, cumprimis Tobias Adami, cujus operâ non pauci Campanellæ libri prodierunt, ingenti ſuo commodo utebantur. Licebat enim ipſi, ſæpius venientes Philoſophiâ ſuâ imbuere, ac communicare

 cum

cum diſcedentibus confectos in tenebris libros, quæ una ratio erat ingenii monumenta publicandi. Tandem vero curâ Urbani VIII. literatiſſimi pontificis, liberatus eſt, ſeque Romam illico contulit. *Affulgente poſtea*, inquit, *rebus meis feliciori ſorte, libertatem, favente optimo meo Mecœnate, Urbano Pontifice octavo, jubente Philippo* IV. *Hiſpaniarum Rege, ipſiusque mandata exſequente Duce Albæ, & auxiliantibus multis S. R. E. Cardinalibus, præſertim vero efficaciter negotiante Innocentio Maximo, epiſcopo Catanenſi, conſecutus ſum anno* 1626. *die* 15 *Maii. Mox Romam accelerans ſcripſi in ſancto officio ad libellum Parlamenti pro Rege Chriſtianiſſimo animadverſiones.* Cæterum Urbanus liberaſſe noſtrum hoc obtentu dicitur: ſcripſiſſe eum adverſus doctrinam eccleſiæ Romanæ, eoque Romam mittendum eſſe, ut eccleſiaſticis judicibus redderet rationem. Cui rei Hiſpanos probabile eſt tanto facilius fidem adhibuiſſe, quanto certius e libris Campanellæ innoteſcit, fuiſſe eum jam ante, quam perduellionis accuſaretur, religionis ergo in carcerem abreptum. Non

l. c. art. 4.

Non poteſt autem verbis exprimi, quo ſtudio, qua benevoli animi ſignificatione noſtrum exceperit Urbanus: odio Hiſpanorum, an reconditæ Philoſophiæ amore, futuraque cognoſcendi cupiditate, incertum eſt. Extat Gabrielis Naudæi panegyricus dictus Urbano VIII. Pontifici Maximo, ob beneficia ab ipſo in M. Thomam Campanellam collata. Non potuit tamen Urbanus ab Hiſpanorum inſidiis tueri noſtrum: qui cum viderent, eum non tantum libertate gaudere, ac quicquid ante ſcripſiſſet dixiſſetque impune ferre, & Galliarum Regis legato cariſſimum eſſe, intercipere eum, & Neapolim denuo tranſportate apud animum ſuum ſtatuerunt. Quare in Galliam ſe recepit anno MDCXXXIV. quod ipſius pontificis juſſu factum eſſe, nonnulli opinantur. Lubet rem totam Campanellæ verbis commemorare, quæ habentur in dedicatione tomi primi operum, ubi Franciſcum, comitem de Noailles, Galli ad pontificem Romanum legatum, ita alloquitur; *Libertatem, honorem & vitam tibi debeo. Cum enim Synagoga potentium (non Deum,*

Deum, neque jus, neque fas verentes, ſed venantes gratiam falſis hamis falſisque venabulis a Catholico Rege, poſtquam in prima perſecutione me innocentem per Ducem Albæ declaraverat, tanquam iterum Zelantes pro regno ipſius, quo poſſent regno ipſius longo tempore ad divitias & honores larvatos comparandum abuti) perque vim perque dolos, in partem prædæ invidis falſis etiam fratribus illectis, dum moror in civitate ſancta, conarentur innocentiſſimum ad necem trahere: tu me, quem tota fere Roma ſummusque pontifex ſcientiis & virtutibus cunctis, nedum juſtitiâ ornatiſſimus, innocentiæ cuſtos, ſapientiæ amator, diffiſi eſſent a violentia & inſidiis poſſe tueri, incolumem ſervaſti: & cum explorarent hoſtes, me in tuis ædibus refugientem; tu illorum eludebas interea technas, dum tuo curru noctu ſub aliena veſte per aliam portam vectum, tuisque litteris ad principes & conſules, obvios futuros commendatum, ad Chriſtianiſſimum usque Regem me transmitteres. In itinere eum viri docti, in primis Nicolaus Claudius Fabricius Peirescius Aquis-Sextiis, ſumma humanitate exceperunt, ac Peirescius quidem Maſſiliâ

liâ in ædes ſuas, miſſâ lecticâ, accerſi curavit, dimiſſumque poſt aliquot dies non ſolum litteris inſtruxit, quibus pecuniam Lugduni acciperet; ſed etiam quinquaginta aureis donavit: quo beneficio mens Campanellæ ſic fuit commota, ut diceret, ſe olim quidem habuiſſe ſatis conſtantiæ, ut per tormenta ſæviſſima continere lacrymas poſſet: at non habuiſſe, quando virum adeo munificum experiretur. Non minus gratus fuit Pariſiis & Ludovico XIII. & Richelio Cardinali, a quo ſæpe conſultus eſt de rebus Italicis. Förſtneri verba ſunt in continuatione poſtrema notarum ad Taciti Annales: *In aula Gallica vidi aliquoties, dum apud Cardinalem Richelium Ludovicus rex in conſilio eſſet, Thomam Campanellam, famâ ſuper æthera notum, accitum, deque rebus Italicis ſententiam rogatum fuiſſe. Nimirum in iis quisque negotiis adhiberi debet, quibus par eſt.* Rogatus aliquando a Richelio, num regis frater rex futurus eſſet, reſpondit: *Imperium non guſtabit in æternum.* Mortuus eſt Pariſiis ſeptuagenario major, anno MDCXXXIX. cum paulo ante eclogam

Gaſſendus in vit. Peirescii l. 5. p. 181.

p. 59.

Naudæana p. 6.

gam ſcripſiſſet in portentoſam nativitatem Delphini. Amicos multos habuit & doctos, quorum præcipuos ipſe laudat in fine ſyntagmatis de libris propriis.

Caput Secundum.

Variorum judicia de Campanella.

QUi nuper Campanellam ſanctiſſimis apoſtolicisque viris annumerarunt, eos multa declarant non legiſſe hominis libros, ſed cuncta ſitienter arripere, inque cœlum extollere laudibus; quæ nova ſunt, ac extra viam regiam vagantur. Enimvero nemo fuit in perverſis judiciis de cœleſtibus ferendis excellentior Campanella, ſuntque in ejus libris plurima profanæ mentis indicia. Quibus probare multi conantur, atheum fuiſſe, ea licet clariſſimis niti conjecturis videantur, nos non afferemus. Eorum tamen juvabit meminiſſe, quæ certum eſt a divinitus excitato divinisque dotibus inſtructo doctrinæ ac morum reformatore proficiſci nequaquam potuiſſe. Nimirum re-

religionem imperantium, aut imperii cupidorum, libidini diſerte aptat, cum primis in libello de monarchia Hiſpanica, unde longum foret impia cuncta tranſcribere. Paraturus Hiſpaniarum regi viam ad monarchiam univerſalem, religione turpiter abutitur, qua eum nihil non putat eſſe obtenturum. *Omnes magnates*, inquit, *monarchiam novam inſtituturi mutarunt ſcientias, & ſæpe etiam religionem, ut admirabiles ſuis redderentur, unde etiam concurſus populorum ad illos facti ſunt. Cæſar pontificatu ſuo & aſtrologia Romanis parum cognita, & mutatione ſtyli, principium monarchiæ ſuæ dedit. Idem ergo faciendum quoque eſt regi Hiſpaniæ, maxime cum ſummam occaſionem habeat idem faciendi. Novam autem cum non ſemper liceat religionem inſtituere, veterem tanto magis illuſtrare, ac ritibus augere debet, item novas ſcientias dignitati ſuæ convenientes in medium producere. Et ante omnia legem ſanciat inter Chriſtianos, primo ut, ſi quando populus aliquis religionem Romanam mutet, omnes principes ſub pœna amittendi ſtatus ſui obligati ſint illum extirpare.* Annon eodem

De monarch. Hiſp. c. 10.

noſter

noſter luto hæret, quo Macchiavellum hærere clamitat cum alibi, tum in atheiſmi præfatione, ubi eum docere ait, religionem eſſe artem politicam, ad populos in officio ſpe paradiſi, & timore inferni retinendos? Licetne igitur novam aliquando religionem inſtituere imperii conſequendi augendive cauſa? Permittuntne Chriſti præcepta, extirpari viros honeſtos ab epiſcopo Romano diſſentientes? Imo licet. Ita enim Campanella: *Hæreticos, & Lutherum confeſtim, poſt comitia Auguſtæ habita, ſub alio prætextu technis opprimere ſatius fuiſſet.* Et alibi, *Hæretici damnentur rogo ex conſtitutionibus imperialibus; quia virorum in autoritate conſtitutorum famam & bona lacerant, qualis eſt Papa.* Sed multo clarius hæc verba oſtendunt, ſanguinis ſitientiſſimum fuiſſe: *Dico, quod recte quidem Carolus V. promiſſa Luthero ſervavit in ipſis comitiis. At poſt in domuitione illum eundem opprimere debuiſſet, atque Principes Proteſtantes jam ſuppreſſos prorſus extinguere: ita hæreſis tota etiamnum in herba eradicata fuiſſet, neque Calvinus cum aliis ſubſecutus fuiſſet, qui Germaniam*

Conf. monarch. Hiſp. c. 5.

Ibid. c. 16.

Ibid. c. 18.

c. 27.

maniam utramque polluit. En hæreticos convertendi methodum plane apoſtolicam! Non eſt autem minori aſtutia uſus, cum ageret de Papatu: cujus artes mirificas clare detexit, habuitque omnem Romanenſium de Pontificis omnipotentia doctrinam pro humano commento. Nihilominus vero autor eſt Principibus, ut ad Papatus conſervationem omnes vires ſuas conferant, quod nulla re alia facilius ſub jugum mittere omnia poſſint, quam Pontificis favore, immaniſſimam quamque tyrannidem religionis obtentu velaturo. *Papa*, inquit, *juſtificat eorum expeditiones. Videntur enim pro Deo, non ex ambitione, aliena regna occupare.* Et alibi: *Exigendi nummi ſunt, quum grave aliquod bellum imminebit, idque interveniente autoritate Papæ, ne rex ipſe in odium apud ſuos adducatur.* Scilicet nihil ad opprimendos populos utilius cenſet Pontificis autoritate, qua ſunt mentes hominum effaſcinatæ. *Rex Hiſpaniarum*, ait, *certus eſt, quod ſi propugnatorem Papæ ſe profitebitur, etiam militares illius copias ſibi promtas ſit habiturus, quibus firmare regnum ſuum poſſit.*

Politicor. c. 8.

Mon. Hiſp. c. 16.

Ib. c. 5. & atheiſm. c. 18.

ſit. Quare expedire arbitror, ſecundum ſtatum Chriſtianum, ut, quia monarchia Hiſpanica ſurſum tendit, Rex illius palam confiteatur, ſe a Papa dependere. Non eſt diſciplinæ Chriſti convenientius conſilium, quod Auſtriacis dedit contra Proteſtantes in Germania. *Adhibenda etiam ſumma opera eſt*, inquit, *ut ſpargantur perpetua diſcordiæ ſemina inter Marchionem Brandeburgicum, Landgrafium Haſſiæ, Ducem Saxoniæ, Brunsvigæ, Palatinum ad Rhenum, Ducem item Wirtebergenſem, & minutas illas reſpublicas Germaniæ: quod facile fieri poteſt, ſi præeminentiæ quæſtio ipſis moveatur, quod reſpublicas illas ſemper ſuſpenſas tenuit.* Legant Campanellæ præcones vel caput vigeſimum quintum monarchiæ Hiſpanicæ, ac judicent, an ſubvertendæ paci, quam Chriſtus ſuis paravit, aptiores dolos fraudesque vel nocentiſſimus aliquis Dæmon excogitare potuerit? Et quorſum, quæſo, opus erat, hominem Chriſtianæ religionis amantem æternis tenebris digniſſimam horrendamque inſcriptionem *pro falſariis* in lucem publicam protrahere? Quorſum opus erat toties

Ibid. c. 23.

Atheismi. triumphat. p. 195.

toties provocari ad librum de magia Chriſti? Et quam pietatem produnt hæc verba: *Eorum, qui ſeſe a Deo miſſos aſſeruerunt, neminem ſuſpectione vacuum prorſus, excepto Jeſu, & per Jeſum, invenio. A quo etiam niſi de Moſis doctrina certior factus eſſem, dubitationes & quæſtiones plurimas animo volutarem, quas non tam facile ſolverem. At quidem examinata ſignis, & conteſtationibus collata ſuis, poſt longam diſputationem & experimenta, hæc quoque divina reperitur.* Atque illud etiam non obſcurum eſt improbitatis indicium, quod Lutherum, Calvinum, & ſaltem non omnes ab epiſcopo Romano ſeceſſionem facientes atheis annumerat, mentem eorum pro lubitu detorquet, Alcoranum potius, quam Evangelium amplexos eſſe opinatur, clamatque inter alios Lutherum quoque religionem ludibrio expoſuiſſe, ut lucraretur vanos honores ac divitias, locutumque de rebus, quas ignoraret. Præterea inſolitæ eruditionis opinionem ſibi ipſe induit noſter, ac doctrinam ſuam in præfatione atheismi ad Scioppium vocat novam & egregiam, ſeque ait

Atheism. p. 188.

De gentilism. non retinend. p. 21.

Atheims. p. 209.

ib. p. 184.

 ſcrip-

Struv. l. c. p. 89. p. 80. p. 56. ſcripſiſſe, feciſſe ac dixiſſe mirifica. Et ſane ita ſe rem habere non diffitemur. Multa ſcripſit ingenii plena, multa fecit ſuſtinuitque pro veritate. Verum, ſi in ſcriptis ordinem ſervaſſet, ſuperflua omiſiſſet, ac Dei potius gloriæ, quam nominis celebritati operam navaſſet; ſi tantum judicii & probitatis in vita, quantum doctrinæ ac induſtriæ in libris prodidiſſet; ſi falcem in alienam meſſem non miſiſſet, nec ſparſiſſet æternæ diſſenſionis inter Chriſtianos Principes ſemina, religionemque libidini imperantium & curiæ Romanæ unice aptaſſet; tum demum eas laudes ab aliis reportaſſet, quibus ſe ipſe ſine cauſa extulit. Cæterum, quoniam in Campanellæ libris bona malis mixta ſunt, varia reperiuntur de hoc viro judicia, quæ Thomas Pope-Blount collegit in cenſura celebrium ſcriptorum. Sed nos quædam addemus, recitabimusque ipſa doctorum verba, ne quid agere partium ſtudio videamur.

p. 936.

l. c. p. 22. Cæſarius a Branchedoro ita judicat: „In hoc homine, quid ingenium „humanum poſſit, videtur naturæ dæmon

„ dæmon experiri voluiſſe, ita omnes
„ ignei & ſublimatisſimi animi vires
„ in eo ſcintillant & excellunt maxi-
„ me. Verum conſilia nimis profunda,
„ & deliberationes humanis penſicula-
„ tionibus majores, incircumſpecta ma-
„ chinatio ruit in præcipitium & peſ-
„ ſum dedit. Interim fors fuit, ut &
„ a magiſtro ſuo, cujus ope & conſi-
„ lio uti ferebatur, cujusque a dextro
„ pollice amat oraculum petere, ludi-
„ ficatus & deceptus fuerit.

Tobias Adami laudibus in cœlum effert præceptorem, cujus verba e librorum præfationibus afferre longum foret. Audiamus ſaltem verſus de Campanella, reali philoſophiæ epilogiſticæ præmiſſos:

„ Adpenſa mundi tinniens in angulo,
„ Dormire forte dum placet mortalibus,
„ Multum ſonando ſuſcitat Campanula.
„ Quis, inquiunt, æs inquietum audaciter
„ Nobis moleſtum ſic ferat? quin tollimus.

„ Secreta paucis nunc ſonat Campanula,
„ Gravem miſella contrahens æruginem.
„ Detergeat gravem Mea ô æruginem,
„ Sic perſonabit clarius Primæ ſacra
„ Mentis miniſtra purior Campanula.

p. 59. Samuel Sorbiere in Sorberianis: „ Mihi viſus eſt Campanella Cardani „ ſimia, vir multæ in ſcholaſticis lec- „ turæ, & ejus farinæ libris: qui om- „ nium rationem indagare cupiens fu- „ tilia quamplurima pro veris & ſoli- „ dis lectoribus obtrudit, aut ab aliis „ deſumta ſibi vindicat.

Hugo Grotius epiſtola LXXXVII. ad Gerardum Joannem Voſſium: Legi & „ Campanellæ ſomnia.

l. 3. p. 57. Bœclerus in Taciti Annales: Lar- „ vis Thomas ille Campanella, novæ „ religionis, ut jactitat, repertor, re- „ vera autem ad Callicratis inſtar (ap. „ Corn. Nepot. in Dione 8, 1.) ho- „ mo callidus & ad fraudem acutus, „ ſine ulla religione ac fide, publicis

„ Ju-

„ Judiciis voluit imponere. Cum enim
„ vidiſſet, Macchiavellum ob vafra &
„ improba ejusmodi conſilia apud ple-
„ rosque vapulare, ipſe velut mango-
„ nio quodam adornata, quæ Mac-
„ chiavellus nuda protulerat, ita de-
„ nuo in theatrum induxit, ut & re-
„ prehenderet Macchiavellum, &
„ Macchiavelli tamen placita ſedulo
„ ſub diverſis nominibus teneret.

Conringius cap. XIV. de civili p. m. 300.
„ prudentia: Minus huc pertinent
„ Thomæ Campanellæ civitas Solis,
„ laude quidem digna, multum eſt
„ tamen infra Utopiam.

Idem eodem loco: Omnibus his- p. 358.
„ ce præſtant, licet mole exigui, &
„ in carcere, ſine omni librorum auxi-
„ lio, alienum ad calamum dictati Po-
„ litici Aphoriſmi Thomæ Campanel-
„ læ, quos Latine verſos partem ter-
„ tiam Philoſophiæ Realis inſcripſit
„ Tobias Adami. Arguunt ſane capax
„ atque verſutum auctoris ingenium:
„ perinde atque liber de monarchia
„ Hiſpanica prodit peritiam rerumpu-
„ blicarum præcipuarum hujus ævi,
„ in dudum captivo utique admiran-

 „ dam.

„ dam. Cæterum hi aphoriſmi tan-
„ gunt quidem politicæ philoſophiæ
„ perquam multa, plene nihil exſe-
„ quuntur: plura etiam docent perpe-
„ ram, quam a Grotio animadver-
„ ſum.

p. m. 54. Naudæus in bibliographia politica: Amicus etiam noſter, Thomas Campanella, juxta doctrinam ſuarum primalitatum ethicam novam compoſuit, quæ ſub epilogiſmi nomine cum philoſophia ſua naturali & politica typis commiſſa fuit a Tobia Adamo; ſtylo quidem non ita compto delineata, ut Ciceronianis arridere poſſit, ſed ea nobilitate cogitationum, rationumque ſubtilitate, ut omnibus ſapientiæ myſtis non poſſit eſſe non ſummopere gratiſſima.

p. 65. Idem paulo poſt: Secundus ab ipſo fuit Thomas Campanella, ardentis penitus & portentoſi vir ingenii. Qui, dum in tenebris & pædore carceris vitam traduceret, civitatem ſolis delineavit: ea cogitationum novitate & ſublimitate ſenſuum, ut præter philoſophicas ſpecula-

„ culationes multa etiam contineat,
„ queis reſpublicæ tutius adminiſtrari
„ poſſent, & homines ipſi meliores
„ evadere,

Gisbertus Voëtius: Iſtis & ſimi- Diſpp. ſe-
„ libus ſexcentis, quæ in Atheiſmo lect. p. 1.
„ triumphato, metaphyſica, libris de p. 202.
„ ſenſu rerum, aliisque operibus ven-
„ ditat Campanella, putamus liberti-
„ nis cauſam tradi, & Scepticis atque
„ Atheis religionem deridendam pro-
„ ſtitui; imo homines ſuperbos & cu-
„ rioſos in ſcepticiſmos & atheiſmos
„ hac occaſione nonnunquam incidere,
„ quamvis Campanella volens & ſciens
„ nihil tale intendiſſet. An cerebri in-
„ firmitati & intervallis maniacis, aut
„ deliriis melancholicis, an vero om-
„ nia innovandi & evertendi prurigi-
„ ni, & quidem ſub prætextu Zeli &
„ pugnæ adverſus Epicureos, A-
„ theos, Hæreticos, hæc tribuenda
„ ſint, nos non dicemus, qui viri il-
„ lius vitam & ſtudia propius intueri
„ non poſſumus. Alterutrum ſaltem
„ in eo animadvertere viſi ſunt ſocii
„ ejus, qui illum 30. annis in Italia
„ captivum & incluſum detinuerunt,

„ ut conqueritur in præf. ad meta-
„ phyſicam.

CAPUT TERTIUM.

Campanellæ Theologia & Magia.

THeologiam ſuam non exorſus eſt Campanella ab illo articulo, in quo omnem ſuam operam monachi ponunt, in concluſionibus hærentes, ac negligentes principiorum: crede ſanctam eccleſiam; ſed ab hoc omnis religionis ſalutisque publicæ fonte: Credo in Deum. Docet vero, in eſſentia Divina eſſe tres primalitates, ut loqui amat, ſive ens primum eſſentiari potentia, ſapientia & amore, atque omnes hujus trinitatis effectus, hoc eſt, omnes creaturas, eam repræſentare, earumque quamlibet in tantum exiſtere & vivere, in quantum in ea perſeverarent poteſtatis, ſapientiæ & amoris radii ac participationes. Quippe unumquemque mortalium communi lege aut tanquam potentem vivere, aut tanquam ſapientem, aut tanquam amantem & bonum, fierique poſſe, ut hæ

Præf. Atheiſm.

Atheiſm. c. 2.

hæ dotes omnes, aut ſaltem duæ, in uno homine appareant. Degeneraſſe autem mortales ab his divinitatis radiis, & potentes quidem deſiiſſe in tyrannos, ſapientes in ſophiſtas, bonos & amantes honeſti in hypocritas & impios; omnes tamen ac ſingulos obtentu potentiæ, ſapientiæ & amoris divini ad omnem libidinem abuti. Dari autem providentiam, & mentes mortalium immortales eſſe, quas ut perduceret ad felicitatem æternam Deus optimus maximus, viſitaſſe homines, ac docuiſſe legem, factumque hominem eſſe. Atque hanc credendi vivendique rationem, quam Chriſtus docuiſſet, veram eſſe, cæteras falſas. Quam ſi quis ita ſectaretur, ut plane certus ſit, ſe Deum amicum habere, non quidem ipſum Numen perfecte comprehenſurum eſſe, quippe quod non permittat humana mentis imbecillitas, immutaturum tamen fide rerum naturalium curſum, & miracula patraturum. *Quicunque*, inquit, *vult ac poteſt tam præſtantiſſimo creatori ſervire, quod etiam poſſit confidere de amicitia ejus penitus & omnino, & nolit aut velit quippiam,* De ſenſ. rer. l. 4. c. 2.

piam, niſi ut vult & non vult Deus; nec contra Deum operatur unquam, ſed eo modo, quo Deus illi & communitati hominum præcipit; hic poteſt in ejus amicitia ita confidere, quod res creatas, prout opus eſt, immutare queat per miraculum, & veluti homo præcipiens homini, ſuper quem habet poteſtatem & fiduciam, ab eo officium conſequitur, ita aliis præcipiendo rebus movet ipſarum ſopitum ſenſum, ac ſibi obedientem reddit. Cæterum mirum non eſt, ſpem meliorum temporum eo majorem concepiſſe, quo magis vexatus eſt novarum rerum ſtudio, adeoque omnes ſuos libros chiliaſticis ampullis replere ſolitum. Locus in primis clarus eſt ſub finem capitis XVII. atheiſmi: *Ad impiorum opprobrium præſtolor etiam in terra præludium paradiſi cæleſtis, aureum ſeculum, felicitate plenum, a quo facto iterum flagello de funiculis creaturarum (ut inquit S. Cathar. Senen.) excludentur increduli deriſores pietatis.* Multa hujusmodi commenta reperire in ejus libris licet, quamobrem ab æterni Euangelii præconibus inter præcipuos veritatis teſtes annumeratur. Nihilominus formidine pœnæ Ponti-

ficiæ

ficiæ religioni nomen ſemper dedit, ac more fanaticorum, quibus parum momenti in veræ fidei cognitione poſitum videtur, eandem miris laudibus ornavit: unde & Julianus Joubert anno CIƆIƆCXXXV. Pariſiis teſtatus eſt, Campanellam ingentem Zelum obedientiamque erga eccleſiam Romanam oſtendiſſe, ob eamque cauſam ab Academia Sorbonica omnium applauſu exceptum eſſe. Hinc vulgaria eccleſiæ Romanæ dogmata pro virili tuetur, Thomam Aquinatem ſecutus, ac Græcarum Ebraicarumque litterarum plane expers Scholaſticorum Theologorum lectione contentus. Quanquam paſſim epiſcoporum Romanorum fraudes aperit, quos gaudere armato ſacerdotio notat, & in ſeminariis ſuis tot milites, quot juvenes educare. Quid verius hac obſervatione, quæ habetur capite v. Monarchiæ Hiſpanicæ: *Pontifex Romanus interdum regem Hiſpaniarum non nimis benigne excipit, veritus ſcilicet, ne victis Rege Galliæ & Italiæ principibus, illum Cappellanum ſuum faciat, atque ob hoc optat, ut perpetuo inter ſe diſcordent.* Sed ad magiam Campanellæ

Judicium præmiſſ. eſt libr. de gentil. non retinendo.

De ſenſ. rer. l. 4. c. 1.

læ progrediemur, quam dicit inveſtigationem rerum arcanarum Dei & naturæ, facitque triplicem, divinam, quam nemo ſine ſingulari auxilio divino teneat, & quæ in eo cernatur, ſi legatis Dei obediat natura; naturalem, quæ exiſtat ex ſtellarum & medicinæ notitia, conjuncta cum religione & fiducia, ſitque adeo excellens Dei donum, ut ea rite uſi ſæpe ad ſupernaturalem magiam & commercium cum ſuperis perveniant; & diabolicam, qua quis dæmonis arte mirabilia efficiat, qualia absque dæmonis ope fieri ſoleant a circulatoribus coram imperita plebe. Quemadmodum vero non eſt dubium, Campanellam naturalis magiæ ſtudioſiſſimum fuiſſe; ita nec illud quicquam habet dubitationis, a diabolo ſæpe infeſtatum eſſe, idque non ſine omni ipſius culpa ac voluntate. Annos natus plus minus quindecim recuperaverat ſanitatem operâ mulieris vetulæ, ut ipſe teſtis eſt, quarto de ſenſu rerum capite decimo octavo: *Ego in pueritia*, inquit, *ſanatus ſum a morbo lienis, cujusdam mulieris verbis & precibus in aſpectu deficientis lunæ; de licentia Prioris mei,*

mei, F. Andreæ Zappavignæ, theologi doctiſſimi. Ab eo tempore ſemper flagravit ſtudio rerum abditarum. Rationem fures indagandi, frequenti uſu comprobatam, ipſe prodit eodem loco, quam ſcire cupio ut excuſare velint, a quibus eſt nuper in ſanctitatis arce collocatus. *Vidi aliquando pueros,* inquit, *qui pallium amiſerant, tenentes cribrum forficibus infixis appenſum dicentes: Per ſanctum Petrum & per ſanctum Paulum, rapuitne Flavius pallium? & cum multos nominarent, cribrum ſtabat immotum, cum autem ad nomen Flavii veniebant, volvebatur ſponte quodam impetu. Ego obſtupeſcens periculum feci cum eis invocato Deo altiſſimo, ne permitteret me a dæmonibus ludificari, & ſimiliter non movebatur cribrum, niſi ad nomen Flavii, & expiata conſcientia per ſacramenta ſemper reperi idem repetito periculo.* Cæterum inde etiam magiæ ſtudium, quo ductus fuit Campanella, cognoſcere eſt, quod docet, ſi quis ſibi ſimilem cum aliquo faciem & cætera corporis membra eſſe perſuaſerit, non ingenium tantum illius, ſed & animi ſenſa illico eſſe cogniturum. Unde

Gaffarelli curios. inaudit. p. 122, 123.

de vultum eorum, ad quos litteras dedit, exprimere omni labore anniſus eſt, cujus rei oculatum ac locupletem producemus teſtem, Jacobum Gaffarellum, ita de Campanella ſcribentem: *Hanc hominis opinionem prius ita acceperam, quaſi ſufficeret, ſibi alienum habitum, vultum & mores imaginari. Verum cum eſſem Romæ, atque eundem cum aliis captivis inviſerem, ex iſtius proprio facto, qui Cardinalis Magalotti, ad quem, cum intraremus, ſcribebat, vultum usque ad oris diſtorſiones ſibi fingebat, didici, hiſtoricam* μίμησιν *ab eo requiri.* Prædixit & noſter futura: magiæ ope, an ingenii acrimonia, judicent alii. Nobis exemplum attuliſſe ſatis ſit ex Boecleri elogio Forſtneri. *Non prætereun-*
p. 20. 21. *dum eſt*, ait Boeclerus, *quod in Italia, cum ad Campanellam inviſeret, ei uſu venit. Tenebatur ille in cuſtodia, nec ad videndum, niſi cuſtodibus arbitris, quisquam admittebatur. Plures una acceſſerant, & de more ævi libellos colligendis illuſtribus nominibus, deſtinatos, Campanellæ in cubiculo tradi juſſerant. Poſtquam inſcripſerat is quæ voluit, admiſſos contemplatus, ſine hæſitatione Forſtnerum nunquam*

antea

antea viſum nomine compellavit, manuque prehenſum de futuris honoribus & quibusdam aliis eventibus edocuit. Extitit fides prædictis, ſive ex liberali & multarum bonarum rerum indice facie feliciter conjecturam facere contigit; ſive veterum de divinatione prudentum ſententiam, ad hoc quoque præſagiorum genus, monitu exemploque Cardani referre, fas eſt. Quanquam tutius eſt in his, facta ſcire, cauſam ignorare. Cæterum niſi me fallunt omnia, Campanella is ipſe fuit, qui velut alter Grumbachius miſero adoleſcentulo ad magiam ſuam abuſus eſt perdiditque incautum. Verba adſcribemus, longa illa quidem, ſed notatu in primis digna. *Ipſe*, inquit, *magno arſi deſiderio experiundæ hujus veritatis: quod tandem, non ſine Dei providentia, ex eo malo mihi operante bonum, aſſecutus ſum. Aſtrologus quidam ingenuæ probitatis, aſtrologica ſuperſtitione Haly Abenragel curioſe provocatus, ex geneſi cujusdam juvenis idiotæ argumentatus eſt, illi apparituros intellectus abſtractos, quamvis id nec ipſe crederet, experiundi gratia inſtruxit juvenem, quomodo invocaret angelos ſiderum. Tunc juvenis*

Atheism. p. 161.

venis cepit mirifica videre, & reſponſa accepit aſtrologus per illum de rebus graviſſimis, & qui apparebat ei ſpiritus, ſimulabat ſe eſſe angelum, & aliquando eſſe lunam, aliquando ſolem, aliquando Deum. Sub his enim & aliis formis apparebat inter ſomnum & vigiliam. Veritates plurimas annunciabat. Multique apparuerunt; ſed paulatim ad magis falſa pertrahere conati ſunt idiotam adoleſcentem: ſcilicet non extare inferos, & animas migrare de corpore in corpus, etiam brutorum & plantarum. Oracula dederunt futurorum eventuum, & aliqua ſic contigerunt. Dixerunt, non extare diabolos in mundo, ſed omnes eſſe angelos magis minusque bonos ſapientesque magis & minus. Et gentilibus reſpondiſſe per amphibologiam eos, qui minori pollent ſapientia. Tandem amicus ſigna petit, ſicut Gedeon, per juvenem. Pollicitus eſt qui apparebat: ſed exinde dolis uſus eſt incredibilibus, quo curioſum virum aſtrologum dubitantem, & meliora conſulentem, ab illo miſero juvene ſepararet. Quem deinde ſeparatum, ut libuit, deceperunt, & ad violentam necem pertraxerunt. Tunc alium virum præſtolantem promiſſa ante

caſum

caſum juvenis, ærumnæ atrociſſimæ ad majorem experientiam tenuerunt diu, donec propriis viſionibus agnovit, quæ vix unquam intellexiſſet, quamvis viri ſancti & philoſophi multi hæc aſſerant. Alloquuntur, inquit, inter ſomnum & vigiliam, unica voce, præſertim cum quid mali paſſurus eſt. Lucem hæc fœnerantur a verbis Campanellæ, quæ habentur libro III. capite x. de ſenſu rerum: *Ego cum mali quippiam mihi imminet, inter ſomnum & vigiliam audire ſoleo vocem clare loquentem mihi: Campanella, Campanella; & interdum alia verba addentem, & ego attendo, nec intelligo quis ſit.* Ac ſatis conſtat, ſæpe cum ſpiritibus eſſe locutum. Ita enim ipſemet ſcribit: *Mihi comparuit in tribulationibus non ſemel vario vultu & horribili neſcio quis, & fugatur nomine Dei. --- Quæſivi, utrum Deus poſſet immutare fatum & mala hominum? Ille dæmon, qui ſe Deum eſſe ſimulabat, reſpondit, ſe poſſe abbreviare mala & allevare, & accelerare vel tardare, non tollere, ſi fato ſunt decreta & prædeſtinatione. Tunc ego dixi ad illum: Si Deus prædeſtinat res fato immobili; ergo & tempus & modum* Affert Voëtius p. 1. diſpp. ſelect. p. 202.

 rei.

rei. Ergo non poteſt accelerare, neque allevare mala. Hoc argumentum ipſe, quamvis a me ſcriptum, non intellexit, & reſpondit, me eſſe ſtultum; quaſi ejus reſponſum non percepiſſem.

CAPUT QUARTUM.

Campanellæ Philoſophia.

CAmpanellæ ſupra diximus hoc inſtitutum fuiſſe, hanc rationem ſtudiorum, nulli rei aſſentiri, nihil pro vero admittere ſine accuratiori examine. Igitur eadem fere, qua ſceptici, via inceſſit, deque ſui ipſius philoſophia jam ſenex ſcripſit: *Philoſophiam*
Atheism. 88. p. *inveni pleniorem jucunditatibus. Sed in labore, & vigilia & infirmitate corporis acquiritur, & ſæpe ad inſaniam labimur. Eſt plena incertitudine, ita quod qui vere ſapit, hoc unum ſapit, quod nihil perfecte ſapiat.* Cæterum in phyſicis ſenſu potiſſimum nititur, compendium de rerum natura ſic exorſus: *Duce ſenſu philoſophandum eſſe exiſtimamus. Ejus enim cognitio omnis certiſſima eſt, quia fit objecto præſente. Signum eſt, quod aliæ cogni-*

cognitiones dubiæ ad ſenſum recurrunt pro certitudine. Ita autem progreditur: Res quasdam exiſtere ſenſu percipimus. Quas cum in loco eſſe neceſſe ſit, exorditur tractationem a loco, quem ſi quis ſuperficiem vocaret, perinde eſſe exiſtimat, ac ſi hominem appellaret aſinum. Ipſe vero locum vocat ſubſtantiam primam incorpoream, immobilem, aptam ad receptandum omne corpus. Inde ex ingenio mundum conſtruit, ac primum Deum poſuiſſe ait materiam, ſeu corpus inconſtructum, aptum ad conſtructionem recipiendam, eique appoſuiſſe cauſas agentes duas, calorem & frigus. Has duas cauſas in communem maſſam egiſſe, ut ſuam efficerent, indeque effeciſſe duo prima mundi corpora: cœlum, factum a calore ex materia devicta & attenuata; terram, a frigore ex portione correpta & condenſata. Poſtea ſolem ex longe copioſo unitoque calore conſtitutum eſſe, caloremque unitum lucem emiſiſſe, factumque ſolem tantum, ut terram poſſet continuo oppugnare. Adeoque omnium rerum naturalium duo eſſe elementa, ſolem &

 ter-

terram. Ac ſolem quidem circa terram circumvolutum eam ita oppugnare, ut attenuatione efficiat aërem & vaporem, eliquatione aquam, induratione lapides, eliquatione & induratione ſimul plantas, eliquatione, induratione & attenuatione animalia. Ex liquore deinde & vapore fieri innumeras rerum ſpecies. Apparet autem, hanc philoſophiam non longe abire ab illa Parmenidis, qui docuit, duo eſſe elementa, ignem & terram: illum opificis, hanc materiæ tenere ordinem. Reduxit & illam veterum quorundam ſententiam, quæ eſt in Trismegiſti clave: in omnibus rebus ſenſus inſunt. Id probare conatur ratione & ſenſu, ut legere eſt in libris IV. quos edidit de ſenſu rerum. Nimirum quia compoſita ſentiunt, indubitatum ponit, mundum & elementa ſentire, cum nihil ſit in effectu, quod non fuerit in cauſa; nec obſtare putat, quod ſola animalia videantur organa habere ſenſuum. *Tam ſtultum eſt*, inquit, *ſenſum rebus negare, propterea quod carent oculis, auribus & ore, quam ſtultum eſt, negare motum vento, propterea quod caret*

Laërt. in vit. p. 537.

ret cruribus pedibusque, & igni manducationem, propterea quod caret dentibus, & viſum manenti in platea, propterea quod feneſtris caret, per quas proſpiciat. lib. 1. c. ult. de ſenſ. rer. Docet porro, in omnibus rebus unicum ſenſum eſſe, ac licet ſenſoria & ſentiendi modi non ſint unius ejusdemque rationis, tamen omnes omnino ſenſus eſſe tactus quosdam, queis ſtellæ etiam gaudeant, in quibus oculus quidem & auris non ſint, & tamen conceptiones lucis transfuſione mutua communicentur. Aurem enim non audire, nec oculum videre, ceu dormientes nos doceant; ſed tenuem ſpiritum in oculo & aure audire, quo plenæ ſint ſtellæ. Sentire etiam terram, lucem, tenebras, ignem, aërem, ventum, plantas, lapides, ipſaque putrida cadavera. Aërem vero eſſe communem illum ſpiritum, conceptus noſtros ad alios perferentem, & quaſi ſenſuum vehiculum. Profert autem plurima experimenta, quibus oſtenſum it, in rebus pridem deſtructis ſupereſſe ſenſum, ac deliteſcere quaſi, ſed excitari varie. Nimirum cum in cadavere generentur vermes, quorum ſen-

 ſus

ſus ex nihilo manare nequit, neque etiam ex materia, quæ ſuſcipit vitam, non dat; dicendum omnino eſſe, cadaver in morte non ſenſum amiſiſſe, ſed modum ſentiendi, de cætero autem adeo accurato gaudere ſenſu, ut ſæpe hoſtem adeſſe ſentiat. Nam, inquit, *quidam Nucerinus occidit hominem, & obruit humo, poſitusque eſt in carcerem aliam ob cauſam. Poſt 20. dies pluviæ illuvio detexit cadaver, detulitque usque in plateam civitatis, ubi erant carceres. Cumque cadaver inſpectaret proximus de feneſtra interfector, cepit ebullire cadaver, & ſanguinem mittere ex vulneribus, non ſine terrore illius conſcii ſceleris. Quo abeunte ebullitio ceſſavit, & redeunte rediit. Ac ille homo ſeorſum confeſſus eſt mihi hoc poſt 29. annos.* Tribuit etiam brutis intellectum, cum de memoria non ſit dubitationi locus. Apes enim & aves domum reverti, & pleraque animalia multa diſcere. De ratione autem brutorum certo certius conſtare putat. Facere enim ſyllogiſmos, canes lepores inſectantes viæ compendia quærere, araneas ad capiendas muſcas ſtupenda aſtutia uti, rete

De ſenſ. rer. l. 4. c. 9.

rete conſtruere attractoriis filis circumductum, quo facto ipſæ recondantur in centro, quo fila omnia copulentur, ita, ut muſca in rete incidens illud agitet commoveatque, & venatorem in exitium ſui ipſa exciret. Sed vetus eſt hæc philoſophia, erudite illuſtrata ab Hieronymo Rorario, libris duobus, quod animalia bruta ratione melius utantur homine, editis a Gabriele Naudæo anno CIↃIↃCXLV. Pariſiis; recuſis autem Amſtelodami ante hos quinquaginta annos. Præterea brutis loquelam tribuit, quod ſocietates ipſorum durare alioqui nequaquam poſſe arbitraretur. *Formica*, inquit, *ab altera diſcet formica, ſicut nos, & ita conſulunt in futurum: neceſſe eſt eas uti voce, & ſe invicem jumenta & aves vocitare. At nos ipſarum linguam non percipimus, quoniam nec Polonorum nec Indorum percipimus. Omnes enim ſuo pronuntiant quiſque modo. Canes tamen nobiſcum viventes & ſimiæ bene addiſcunt linguam noſtram; nam in alias delati regiones linguam incolarum non intelligunt. Verum pronuntiare, quod volunt, nequeunt, quoniam non habent organa ſimi-* Ibid. l. 2. c. 22.

lia noſtris, ſicuti nos non poſſumus uti tuba: nec cornu edere Campanæ ſonum. Pſittaci tamen, palatum concavum habentes, ſicuti homo, bene diſcunt verba multa humana. Non eſt autem abſurdum, quod habet de brutorum loquela. Etenim bruta invicem conceptus ſenſaque communicare, palam eſt: quod vel gallina docet convocans ſuos pullos. Eſtque cuilibet avium ſpeciei peculiaris ratio ſignificandi ea, quæ ſentiunt. An vero hæc conceptuum communicatio dici loquela debeat, non opus eſt diſputari. Sed ad reliquam Campanellæ philoſophiam veniendum eſt.

Metaphyſicam XIII. libris abſolvit, resque creatas ſpectat ut ex ente & nihilo compoſitas. Ens tranſcendentali ſua compoſitione docet ex tribus primalitatibus, tanquam charactere divino conſtare, potentia, ſapientia & amore: uti nihilum ex impotentia, ignorantia & odio. Ex primo itaque ſummo & ſolo vero ente, in quo tres illæ primalitates perfectiſſime & ſine nihili admiſtione habentur, creaturarum naturam derivari, eſſeque primalitatum objecta eſſentiam, veritatem, bonitatem,

Conf. Adami Præf. prodromi.

tem, ſupra quæ ſeminentur & influant neceſſitas, fatum, harmonia. Disputat ibidem de Deo, angelis, anima, morbis & morte mundi, de veritate religionum, ac omnia pro more commiſcet.

In Logicis prolixe diſputat contra Peripateticos. Veluti cum ita deſcribunt actionem: *actio eſt ſecundum quam in patiens agere dicimur*, recte notat Campanella: *Definiunt idem per idem. Ecquis neſcit, Petrum eſſe eum, qui vocatur Petrus? & actionem a qua dicimur agere.* Præcipuas Peripateticorum ratiocinationes meras principii petitiones eſſe, ſatis clare, niſi fallor, docuit. *Omnes probationes*, inquit *factæ a definitionibus Ariſtotelicis & mathematicis, conſtitutis per ſolam cauſam formalem, ſunt fallaciæ petitionis principii, & non demonſtrationes, niſi ad diſcipulos. Definitio enim eſt idem re & ratione cum definito. Ergo ſi probo, Petrum eſſe hominem, quia eſt animal rationale, probo eſſe hominem, quia homo. Forma enim non dat eſſe rei datum ab idea & agente cauſa. Dat tamen materiæ eſſe formale, quod tamen ipſa eſt, res nimirum data.* to. 1. opp. p. 490.

data. Ergo eſt probatio per æquipollentiam, quæ nihil novi dicit. Similiter peccat probatio ab univerſali ad particulare. Si enim nego, Petrum eſſe animal; fruſtra adducis, omnis homo eſt animal: Ergo Petrus. Oportet ergo probare illam: omnis homo eſt animal, per inductionem, & ſic Petrus eſt pars inducens & a ſimili ſaltem cognita. Ergo demonſtratio Ariſtotelica nulla eſt in mundo. Illud autem notari hoc loco par eſt, in Campanellæ Logica, etſi Ariſtotelem rejicit, inutiles de cortice rerum diſputationes utramque paginam replere, ipſumque de forma, quam vocant, unice ſollicitum ad viam inveniendæ veritatis vix digitum intendere, neque adeo exponere doctrinam de materiæ analyſi, ut loquuntur, qua nihil erat in tota Logica utilius. Sed in Matheſi ac Politicis multa habet ab aliis non obſervata, quod ejus ſyntagma de libris propriis declarat, quo brevitatis cauſa lectorem remittimus.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De libris Campanellæ.

MUltos variosque libros compoſuit Campanella, de quibus Tobias Adami in præfatione prodromi Philoſophiæ inſtaurandæ: *Non ea quaſi omni perfectione abſoluta venditamus, quin ego quidem ex mea parte libenter in iis & ſuos defectus & nævos agnoſco, quos & ad autorem ipſum aliquando non diſſimulavi, veluti & quod accuratâ diligentiâ reviſi nondum ſint. Sed non mirabitur, cuicunque miſerrimus ipſius ſtatus, & extremæ cum indigentia rerum neceſſariarum afflictiones non incognitæ erunt, quin potius in tanta animi & corporis preſſura, tantam diligentiam & infatigabile ſtudium, ingenium igneum, & memoriam ſine exemplo obſtupeſcet.* Pauca ipſe in lucem prodire juſſit; pleraque diſcipuli & amici, cum quibus manu ſcripta communicaverat, ediderunt. Et Adamo quidem tradiderat libros Canticorum ſeptem, carmine Italico ſcriptos; Epilogiſmum Philoſophiæ naturalis, moralis & politicæ, juxta

juxta cum Civitate ſolis; Librum quæſtionum, utcunque ſuppleturum viginti librorum de rerum univerſitate jacturam; De ſenſu rerum libros quatuor, aliaque multa. Habuit idem Adami ultra ducentas epiſtolas Philoſophicas maximam partem a Campanella ſcriptas. Sed Prodromum Philoſophiæ non obtinuit ab autore, qui dictaverat Romæ, eique titulum fecerat: Phyſiologiæ compendiolum. Conſecutus eſt Patavii, a Campanellæ amicis, opinor. Quædam ſelecta cantica noſtri autoris idem Adami edidit ſub nomine Squillæ Septimontani. Dederat noſter & Scioppio anno CIↃIↃCVIII multos libros, in quibus erat Atheiſmus triumphatus, ſed ſub alio titulo. Refert enim Campanella, ſe opus illud vocaſſe Recognitionem religionis ſecundum omnes ſcientias, contra Anti-Chriſtum Macchiavelliſticum; ſed Scioppium nomen Atheiſmi triumphati libro impoſuiſſe. Atque hic manu ſcriptus liber, niſi prorſus fallor, eſt idem ille, qui aſſervatur Jenæ in Bibliotheca publica. Prodiit cura Campanellæ anno MDCXXX. Romæ, probantibus librorum cenſoribus

Vid. Campanellæ Syntagm. c. 1. art. 2.

l. c. art. 3.

bus. Sed anno MDCXXXV. recudi curavit Pariſiis, exhibuitque in titulo Galliarum regis inſignia, ſub quibus campanula eſt, cui inſcriptum: propter Sion non tacebo. Exemplo Jenenſi ſive Adamus, ſive Scioppius hæc præſcripſit: *Imaginare tibi Philoſophum recenter natum ex flumine aſcendere in pratum quoddam pulcrum, ubi nundinæ omnium religionum aguntur, ex quibus unam & ipſe emere deberet; diſcurſibus igitur diligentiſſimis merces examinabit omnes, progredieturque ſciſcitans & licitans in tanta diverſitate, ne decipiatur, planiſſime uti Campanellam vides hisce ratiociniis diſputare. Niſi quod humanitas interdum & ipſi accidat, ut regulas, quas ſibi præſcripſit, adſequi usque quaque non poſſit, dum opinantes a teſtimoniantibus ex verbo Dei diſcernere non valet, ex conſuetudine ſectæ, in qua natus & educatus eſt, ideoque non raro & monachum & papatus defenſorem ob oculos tibi pones.* Multa ſunt de hoc libro judicia, ob quem non caret ſuſpicione atheiſmi; ſed non ſinit inſtituti noſtri ratio, ea hic omnia exhibere. Qui ſobrie & modeſte judicant, non eunt inficias, etiam

in

in Pariſienſi editione, quam ſenex curavit anno ſuperioris ſeculi trigeſimo quinto, multa eſſe, quæ prodant cauſam Chriſti hoſtibus, cum multa exhibeat atheorum argumenta, nusquam in eorum ſcriptis obvia, eoque ſive a Campanella excogitata, ſive ab aliis in tenebris hauſta, indigna ſane, quæ in lucem publicam proferantur; idque tanto magis, quo frigidius non raro reſponſum eſt. Sorbiere de hoc libro
l. 6. p. 57. ita judicat: *Etſi nihil mihi carius ſit tempore, cujus jacturam ſemper ægre tuli, oleum & operam me perdidiſſe fateor in legendo ineptiſſimo libro monachi ineptiſſimi & indoctiſſimi, Thomæ Campanellæ, cui titulum fecit atheismus triumphatus. Farrago eſt ineptiarum, ordo nullus, tenebræ multæ, barbaries perpetua. Neſcio enim, an a Cicerone intelligeretur, cum verba facit de actibus peccaminoſis, de bombardis & archibuſiis, de camiſa ſordida. Hoc unum in libro perlegendo didici, ne ullum alium ejus autoris unquam legerem, ſi tempori parcere vellem.* Poſt atheiſmum nullus Campanellæ liber magna commotione mentium exceptus eſt, præterquam commentatio de ſenſu

ſenſu rerum, quem ita prædicat Merſennus in Geneſin: *Librum Campanellæ de ſenſu rerum & magia, & quoscumque alios ei ſimiles, digniſſimos eſſe puto, qui flammam ſentiant, & fumo incantentur.* De monarchia Hiſpanica quæ ſcripſit, ſatis oſtendunt ingenium ad omnem fraudem compoſitum, quod & aliis notatum video. Sed errores geographicos plures animadvertere in libello licet. Ecloga in nativitatem Delphini multa habet admirabilia, quæ tempus declaravit hactenus; cum ſcriberentur, nequaquam omnibus intellecta. Cæterum non omnes hominis libri impreſſi ſunt, & quos impreſſos habemus, eos licet manu ſcriptos paſſim invenire meliores deterioresve. Nam de una eademque re ſæpius dictavit & ſcripſit. Quæ vir illuſtris, & de ſtudiis immortaliter meritus, Antonius Magliabechi, manu ſcripta poſſidet, docuit me eruditiſſimis litteris, quas cum lectore communicamus.

Vid. additiones ad Naudæana p. 140.

„ Queſto medeſimo giorno, ricevo
„ la corteſiſſima Lettera di V. S. Illma,
„ degli Otto del paſſato meſe di Agoſ-
„ to, & da eſſa con mio eſtremo con-

 „ tento

„ tento veggo, la curioſa, ed inſigne
„ Opera, che in breve è per dare in
„ luce.

„ Quà non ci ſono altri ritratti del
„ Padre Campanella, che quelli che
„ ſi trovano in diverſi libri, come ne-
„ gli Elogi d'Uomini Letterati del
„ Craſſo, e ſimili, che non ſò ſe ſie-
„ no ſomiglianti. Le opere manoſcrit-
„ te che io hò del ſuddetto Padre
„ Campanella, ſono le ſeguenti.

„ Epilogo di quello che della Na-
„ tura delle coſe, hà filoſofato, e
„ diſputato, Fra. Tommaſo Campa-
„ nella, ſervo di Dio.

„ Principia:

„ Proemio. Poiche ſeco menar la vi-
„ ta non poſſo Signore &c. Col ſud-
„ detto Libro del Padre Campanella,
„ vi è legato il ſeguente, mà non ſò
„ ſe ſia del medeſimo Padre Campa-
„ nella, o di altri, perche nel ma-
„ noſcritto non vi è il ſuo nome.

„ Della Credenza, e Diſcredenza,
„ ed Opinione.

„ Principia:

„ Non baſtava à ſapere il ſenſo, e
la

„ la memoria, perche tutto non ſi
„ può ſentire &c.

„ Magia del Campanella.

„ Principia:

„ Della Magia in comune, e ſua
„ divinazione, Diſcorſo primo. Magi
„ ſi appellarono gli antichi Savii dell'
„ Oriente, in particolare i Perſiani,
„ che inveſtigavano le coſe occulte di
„ Dio, e della Natura &c.

„ Della Monarchia del Campa-
„ nella.

„ Principia:

„ Camminando da Levante a Po-
„ nente la Monarchia univerſale &c.

„ Fra. Th. Campanellæ ad Sera-
„ phicum Reſponſio de Peſtilentia Co-
„ lonienſi, & cæt.

„ Principia:

„ Epiſtolis tuis & cæt.

„ La Pratica dell' Eſtaſi Filoſofica.

„ Principia:

„ Biſogna eleggere un luogo &c.

„ La ſuddetta Pratica Filoſofica, è
„ nell' iſteſſo volume delle altre Ope-
„ re del Padre Campanella, mà non
„ vi è il ſuo nome, e dubito che non
„ ſia ſua.

„ Concetti metodici, o Ammaeſtra-
„ menti Politici, di Fra. Tommaſo
„ Campanella.

„ Principiano:

„ Neſſuno domina a ſe ſolo, ed ap-
„ pena un ſolo ad un altro ſolo ſigno-
„ reggia.

„ Diſcorſi a' Principi d'Italia, che
„ per ben loro non debbono contradi-
„ re alla Monarchia di Spagna, mà
„ favorirla: e come dal ſoſpetto di
„ quella ſi poſſono guardare nel Papa-
„ to, e per quella contra Infedeli,
„ con modi veri, e mirabili; fatti per
„ Fra. Tommaſo Campanella Dome-
„ nicano.

„ Principiano:

„ Diſcorſo primo. Gli Iſtorici, e
„ Poeti tutti di Italia, e molti altri
„ Stranieri, piangono l'Imperio Ro-
„ mano, &c.

„ Nell' iſteſſo volume di Opere
„ del Campanella, vi è la ſeguente
„ Lettera.

„ Epiſtola ſociorum, & Parentum
„ Fr. Thom. Campan. Jac. Aldo-
„ brandino Nuntio Neapolitano.

„ Principia:

„ Illmo:

„ Illmo: e Rev^mo: Signore. Noi A-
„ mici; e Parenti, e Diſcepoli di Fra.
„ Tommaſo Campanella, ſacerdote
„ della Religione di San Domenico,
„ Carcerato in S. Ermo. &c.

„ Vi è ancora il ſeguente Indice.

„ Index Librorum, quos Frater
„ Thomas Campanella, vel confectos,
„ vel affectos habet.

„ Il ſuddetto Indice, cavato dal
„ mio manoſcritto, ſi trova ſtampa-
„ to a carte 235. e 236. delle Addiz-
„ zioni di Lionardo Nicodemo, alla
„ Bibliotheco Napolitana del Toppi,
„ ſtampate in Napoli l'anno 1683. in
„ foglio. Nelle ſuddette Addizzioni,
„ ſi fà anche menzione de'Libri ma-
„ noſcritti del Padre Campanella, che
„ ſi trovano appreſſo di me.

„ Se V. S. Illma vuole che io ſcriva
„ a Napoli, per ſapere ſe vi ſia alcu-
„ no che aveſſe notizzie ſicure intorno
„ al Padre Campanella, ſi degni di
„ aviſarmelo, che la ſervirò ſubito.
„ Anche di Parigi, ſi potrebbero per
„ coſa ſicura aver del ſuddetto Padre
„ Campanella molte Notizzie, ma io
„ non ſaperrei in quella Città a chi

„ mi ſcrivere per coſa tale, eſſendo
„ tutti gli amici che vi hò, applicati
„ ad altri Studi &c. &c.

Firenze li 17. *Settembre* 1701.

ANTONIO MAGLIABECHI.

Cæterum Campanella Pariſiis colligere ſua opera & recenſere cepit anno MDCXXXV. Redacturus erat in tomos decem, quorum primus prodiit MDCXXXVIII. apud Joannem Du Brai, in forma quarta, cum approbatione cenſorum, & privilegio Regis, hoc titulo: *Thomæ Campanellæ Styl. Ord. Prædic. Philoſophiæ rationalis partes quinque. Videlicet: Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Poëtica, Hiſtoriographia, juxta propria principia. Suorum operum tomus* I. Eſt autem tomo primo index ſubjectus, quem hoc loco exhibemus, accuratum quippe, & ab ipſo autore contextum.

INSTAURATARUM SCIENTIARUM
Per
F. TH. CAMPANELLAM,

Juxta propria dogmata ex natura & ſcriptura, Dei codicibus,
Tom. X.

IN 1. tomo continentur Philoſophiæ rationalis partes 5. Grammatica, dialectica, rhetorica, poëtica hiſtoriographia.

In 2. Philoſophiæ realis part. 4. phyſiologia, Ethica, politica, œconomica, cum textu & qq. His additur Civitas ſolis, cum qq. & lib. de regno Dei. Ad polit. eccleſiaſt. & diſput. 8. pro Teleſ. contra Perip.

In 3. Philoſophiæ practicæ part. 3. Medicinalium 7. de ſenſu rerum & magia 4. Aſtrologiæ 6. & de fato ſiderali vitando I.

In 4. Philoſophiæ univerſalis I. Metaphyſ. part. 3. lib. 15.

In 5. Philoſophiæ divinæ I. Theo-

logicorum lib. 3. pro cunctis nationibus.

In 6. Theologiæ practicæ part. 4. videl. pro converſione nationum libri articulati, reminiſcentur &c. ad Chriſtianos, Judæos, Gentiles & Mahometanos. Item contra Atheiſtas: item contra Hæreticos, & Perthomiſtas, cento Thomiſticus. Cum expoſ. in 9. Rom. & diſput. pro Bull. Pontif. contra Judiciarios.

In 7. praxis politicæ volumina 4. Scilicet, de monarchia Chriſtianorum ad Principes. De monarchia Meſſiæ ad ſapientes: cum appendice de jure Catholici Regis in novum orbem. Item de monarchia Hiſpanorum. Item panegyricus pro eodem ad Italos principes & remedium contra timorem ab illa.

In 8. arcanorum Aſtronomicorum lib. IV. & ſimul de ſymptomatibus mundi per ignem interituri ſecundum naturam & ſcripturam. Item articuli profetales ex divina & humana ſapientia de inſtanti mutatione ſeculorum.

In 9. poëmatum part. 3. Philoſophia Pythagorica carmine Lucretiano in-

inſtaurata. Item elegiæ, & epigrammata varii generis. Item poëmata in lingua Italica, partim Metaphyſicalia, partim politica, ad Philoſophos & amicos. Item elegiaca de propriis & ſuorum ærumnis. Item ars verſificatoria de metro Latino applicando vulgari linguæ. Multaque poëmata hoc ritu exarata.

In 10. miſcellanea opuſcula, videl. diſputatio ad utramque partem de motu terræ, & quiete vel ſolis vel telluris. Dialogus politicus contra hæreticos noſtri temporis. Diſticon & dialogus pro rege Gallorum & Cardin. de Richelieu. Item pro eodem contra murmurantes. Carolus Magnus. Item de præcedentia, præſertim Religioſorum. Item de conceptione Virginis. Item an monarchia Hiſpanorum ſit in augmento, vel in ſtatu, vel in decremento. Item quot modis poſſunt pauci in bello vincere multos. Item de titulis. Item de reſidentiæ & aſſiſtentiæ Cardinalium & epiſcoporum jure. Item libellus de epiſcopo. Item quæſtio: utrum utilius & commodius ſit vivere ſub principatu

eccleſiaſtico, quam ſeculari? Item de ampliſſima libertate Romana ſub papatu. Item utrum Imperium Roman. hoc tempore mutari debeat, & poſſit, & a quo? Item de regimine eccleſ. ad convertendum mundum ſub uno grege unoque paſtore, non obnoxio contradictionibus principum. Item commentaria Philoſophica & Grammaticalia in poëmata Maffei Barberini, id eſt, Urb. VIII. Item orationes 3. de laudibus D. Thomæ. Item oratio ad regem Galliæ, & ad regem Hiſpaniæ de regno Neapolitano. Item diſput. cur Galli, cum ſint potentiores numero, viribus, pecunia, & neceſſariis rebus ad victum & veſtitum ſuper omnes nationes, non dominantur: Hiſpani vero imbecilliores, e contra? Apologia pro Antonio Perſio de potu calido. Apologia pro Teleſio de origine & uſu venarum, nervorum & arteriarum. Item de peſte Colonienſi. Item cur in magnis articulis temporum viri præclariſſimi, benefactores generis humani, occiduntur titulo læſæ majeſtatis divinæ & humanæ & in ſequenti ſeculo reſuſcitantur & coluntur.

Item

Item cur antiqui reges non coarctaverunt gloſſis auctoritatem Melchiſedecheam Papæ, ſicut plerique recentiores. Item orationes politicæ pro ſeculo præſenti, una ad Batavos I. ad Venetos. I. ad Sabaudum. I. ad Genuenſes. I. ad ſummum Pontif. Item aphoriſmi politici pro ſæculo præſenti. Item a quibus deſiderari pax debet ſecundum politic. Item politica conſultatio contra prædeterminatores, ad Venetos. Item conſultatio ad tollendam famem de regno Neap. cum lucro regis & uſurariorum emendatione. Item de exigendis tributis cum populorum gaudio, & lucro regis. Item de regno noviter occupati ſtabilimento. Item de papatus bono ad principes, orat 3. Item de libris propriis lib. 1. Sunt & alia opuſcula Latino & Italico idiomate, metro & proſa.

Indicem locupletiorem cum explicata ratione contentorum in præfatis tomis, edidit Venetiis Jacob. Gaffarellus, eruditiſſimus & ſolertiſſimus ſcientiarum cultor.

F I N I S.

AP-

APPENDIX I.

qua Campanellæ Philoſophia de ſenſu rerum examinatur.

Morhoſius diſſertatione de paradoxis ſenſuum, capite primo:

THomas Campanella ſenſu ſuo adeo abundat, ut de eo omnibus corporibus largiatur. Scripſit enim de ſenſu rerum libros quatuor, quibus demonſtrare laborat, mundum omnesque illius partes partiumque particulas ſenſu donatas eſſe, alias clariori, alias obſcuriori, quantum ſufficit ipſarum conſervationi ac totius. In hac ſententia ſua tum rationibus tum exemplis adſtruenda mire ingenioſus & operoſus eſt. Quæ tamen ſi excuſſeris, parum ſolidi, plusque fuci & ornatus, quam veri ſenſus habent. Hobbeſius, in phyſic: ſive Naturæ phænom. c. 25. irrefragabilem hanc habet opinionem, ſi natura ſenſionis in reactione ſola collo-

locatur. Et recte quidem. Neque enim quia nullus ſenſus ſine ratione eſt, omnis reactis ſenſum infert. Multi ſunt in natura corporum motus tum interni, tum externi, quos ad ſentiendi facultatem reducere nulla nos ratio jubet. Cujus rationem formalem, quanquam in contactu ſolo ponit Campanella: ridiculum enim, inquit, eſſe, ideo ſenſum rebus negare, quod organis deſtituantur: eſt tamen præter tactum aliquod principium ponendum, quo corpora ſentire dicantur. Ex tactu enim ſolo demonſtrari id nequit. Si ad animam mundi recurramus; quam id longe petitum ſit, quivis videt. Nam & ipſi â non paucis dica ſcribitur. Et ſi maxime eſſet, non inde ſenſus omnium particularum probetur. Elementa ſentire dicit Campanella, quia componunt corpora ſentiendi facultate prædita, animalia ſcilicet; nihil autem eſſe in effectis, quod non ſit in cauſis. Quo certe argumento nihil colligitur; nam nec animalia proxime ex elementis compoſita, ſed ex ſemine a corpore ſentienti deciſo. An vero prima illa animalia a Deo creata elementis ſentiendi

tiendi facultatem debeant, nec Campanella, nec quivis alius definiverit. Ac ſi res ita ſe haberet, ut vult Campanella, vereor ne canoni illi litem moturi ſint nonnulli. Nam Gaſſendus in libro ſuo de ſenſu non contemnendis argumentis probare nititur, poſſe ex re inſenſili rem ſenſilem fieri. Nolo nunc dicere, quibus abſurdis per hanc ſententiam feneſtra aperiatur. Nam ſi quid occultius occurrit in naturæ phænomeno, quod vel occulta qualitate, magnetismo, ſympathia, antipathia abſolvunt, qui veras rerum cauſas, vel ignorant, vel reddere nequeunt; ad quidvis potius cauſantur, quam ut cauſarum rudes habeantur; novum nunc illis latibulum in ſenſu hoc rerum univerſali repertum eſt. Campanella certe viam hoc commento oſtendit, atque omnia iſta Magnetismi, Sympathiæ exempla vulgo jactata, quanquam magnam partem fabuloſa & a recentioribus nonnullis ad manifeſtas cauſas reducta, ad probandam ſuam ſententiam operoſe adducit. Verum non ignorantiæ tantum, ſed & omnium anilium ſuperſtitionum & præſtigiarum magi-

magicarum velamentum eſt, cui fini ſcripti potiſſimum libri illi videntur: quorum extremus de Magia eſt, multa continens cenſurâ ſeveriore digna. Nihil non eſt ſomniorum, divinationum, præſtigiarum faſcinationum, incantationum, quod non iſta hypotheſi velut Orci aliqua galea defendatur: Quam enim παράδοξα & errorum fœcunda dogmata illa ſunt, quæ libro tertio inculcat: Aërem eſſe ſpiritum communem, & deferre ſcientiam ſpirituum animalibus incluſorum ab altero in alterum: aërem affici rebus præſentibus futuriſque, atque nobis communicare; ſed mittam iſta. In plantis adhuc luculentiora ſenſus ſpecimina eſſe contendit, ut quæ organa quædam habeant animalibus conformia, *Si plantis*, inquit, *inſunt oſſa*, *medulla*, *nervi*, *fibræ*, *corium*, *os*, *veſtes*, *arma & prolificatio*; *fatendum eſt animalia eſſe*, *ſenſuque abundare. Hoc quidem argumentum imperitis & ſtupidis quoque ſuaderet*, *qui ſenſum non norunt*, *niſi per organa.* Habetis quidem ejusdem ſententiæ patronos inter veteres Democritum, Anaxagoram & Empedoclem,

ſi

ſi Ariſtoteli l. 1. de plantis ſreferenti fides habenda eſt, & noviſſime Marcellus Malpighius, ſubtiliſſimus corporum ſcrutator, in plantis ſimulachra quædam organorum reſpiratoriorum ſibi deprehendere viſus eſt. At ego certe fateor me non adeò ſubtilem eſſe, ut perſpiciam in quo vis argumenti ejus ſita ſit, quæ ſtupidos etiam de ſenſu plantarum convincat. Mihi iſta non niſi vegetationis argumenta ſunt. Quo magis miror obſervatorem rerum naturalium diligentiſſimum in eandem ſententiam nuper prolapſum, libro, quem de inſectis ſcripſit, rationibus certe non magni momenti inductum. Ut enim prætaream, quæ e Poëtis Italis prolixe in pompam potius quam in rei fidem adducit, his etiam argumentis pugnat: quod plantæ animalium inſtar nutriantur, creſcant, ſemenque pariter & fructum producant, nec non anxie ſolem, & apertum ſerenumque aërem quærant, umbras noxias fugiant; quæ nec ſimpliciter vera ſunt, & vegetationem tantum oſtendunt. Illo vero quod ſubjungit: *Quis ſcit ſi non usque adeo alte in terris radi-*

catæ

cata eſſent, & pedes organaque haberent, annon vitatura lædentem, & læſa lamentis & vocibus dolorem ſuum teſtatura eſſent: non Philoſophum ſed declamatorem, aut poëtam agere mihi vir doctiſſimus videtur. Quod attinet animalcula in fructibus arborum nata, quibus probare intendit, propagari in iſta animam ſentientem ex ipſa arbore; de iis magna certe adhuc ſub judice lis eſt, annon aliunde invecta iſtorum inſectorum ſemina. A qua ſententia, nec ipſum abhorrere virum doctiſſimum ex libro ejus conſtat, ac confirmant hodie accuratiſſimi inſectorum exploratores. Quæ recenſentur ab Herbariis ad eam rem hiſtoriolæ, vel fabuloſæ ſunt, vel in fallacia cauſæ verſantur, ut nihil efficiant illis ſenſus in plantis propugnatores. Campanellæ lepida de fungis quibusdam gregatim in Bisniani territorio naſcentibus affertur narratio, qui moſchum olentes, ſi quis ventrem exoneraverit, in loco ubi naſcuntur, fugiant, ac paulo diſtantius naſcantur. Adeò ne fungi quidem fungi ſunt, quibus etiam naſum habere datum eſt. Quod de foliis arborum ad lacum quen-

 dam

dam Provinciæ Peking poſitarum narrant Sinici ſcriptores, ea in hirundines mutari, ipſe pro fabula habet; vir doctiſſimus in experimentis ſuis naturalibus. Anſeres, vel Anates quas Bernacles vocant ex arboribus, vel ejusdem fructibus, vel truncis, vel conchis naſci, fabula eſt, quicquid etiam tum ratiociniis tum teſtimoniis eam ornet Mejerus, libro de volucri arborea, fruſtra ad oculatam ſuam fidem provocans. Nam falſum eo fuiſſe optimum doctiſſimumque virum ex nuperis itinerum relationibus conſtat, quæ veros ovi natales iis aſſerunt. Ut itaque ex iſtis Hiſtoriolis parum firmetur iſta aſſertio. Mirum eſt non reperiri etiam nunc, qui ita cum ratione inſaniant, ut cum Manichæis animam plantis rationalem adſcribant, aut Ovidiana μεταμορφώσει eam in Plantas de ductam credant, aut cum Ægyptiis latitantia ſub iis numina venerentur.

AP-

APPENDIX II.

Epiſtola Naudæi ad Campanellam, quæ eſt XXXI. Epiſtolarum ejus Genevæ, anno CIↃIↃCLXVII. *editarum.*

Admodum Reverendo Patri, Fratri Thomæ Campanellæ, Philoſophorum, ac Eruditorum Principi, Gabriel Naudæus.

S. P. D.

SI quis eſt inter litteratos homines, quibuscum aliqua mihi neceſſitudo Romæ intercedit, cujus vel colendæ virtutis, vel obſervandæ dignitatis ſumma fuit mihi ſemper ac propemodum incredibilis voluntas, tu ille profecto ſolus eſſe potes, Reverende Pater Campanella, poſtquam jucundiſſimo tuo convictu, eruditionis præſtantia, & morum ſuavitate toties recreatus, non equidem non debeo gratum ac memorem tot beneficiorum animum tibi conſecrare. Quamobrem nec juſte

factum, nec omnino etiam conſulte tibi videtur, quod me ab officio litterarum tamdiu continuerim, quas tamen velut unicum abſentiæ noſtræ, ſolatium aſſiduis tu & quotidianis ferme precibus, dum adhuc una verſaremur, efflagitaſti: Non eſt tamen propterea, quod exiſtimare debeas, me amicitiæ tuæ, quam ut mihi conciliarem, divino quodam munere contigiſſe ſemper putavi, fuiſſe oblitum, aut humanitatis eximiæ, quam in me familiariter & peramanter excipiendo crebro ſum expertus, verum huic me culpæ faciliorem ac majori cum libertate & indulgentia obnixum præbui, quod tantum mihi in maxima tua virtute & ſingulari benevolentia præſidii conſtitutum eſſe arbitrarer, ut etiamſi diu tacerem, plurimis diſtractus occupationibus, quæ me a ſcribendo avocarunt, ſperarem nihilominus te meam excuſationem benigne fuiſſe accepturum. Nunc vero etſi nondum ab illis occupationibus liber, de quibus ſcripſi jam copioſe ad eruditiſſimum noſtrum Allatium, differre tamen amplius nolui, quin ad te litteras darem; ne forſan

ſan te memoria mea excidiſſe putares, qui mihi penitus hæres in viſceribus, cujusque nomen ut in familiaribus colloquiis, ſic & in libris meis tanquam illius genii, quo ſibi vitam atque famam promittere poſſunt, cum ambitione quadam frequenter uſurpo. Quin imo male me habebat dum Romæ tam amanter ac placide velut in tuo ſinu conquieſcerem, quod non iſtud in litteris ſimiliter faciendi ulla ſeſe offerret occaſio, proptereaque torquebar indies & maximopere diſcruciabar tam longa diſceſſus noſtri expectatione; perſuaſum habens, abſentiam meam magnum mihi fore incitamentum, ut ad te continuo ſcriberem tuasque reſponſiones, altiſſimis præclariſſimarum rerum cogitationibus reſperſas, viciſſim elicerem; ſed imprudens iſtud omnino feci & rerum ignarus, quæ mihi poſtea, quo minus gratiſſima hac ſæpius ad te ſcribendi conſuetudine oblectarer, non mediocri impedimento fuere, cum otium quod ſpe ac imaginatione conceperam, cujusque jucundiſſima recordatione per tot Romanas occupationes ſuſtinebar, verſum ſit in operoſiſſimum

negotium, de cujus ſine non audeo certi quidquam adhuc tibi polliceri. Hoc interim ſanctiſſime jurare poſſum nunquam apud me tanti fore vel ſyntagma de liberali ſtudio, quod ipſis duobus elapſis proxime menſibus, in gratiam alterius Nepotum Eminentiſſimi mei Mœcenatis edidi, vel hiſtoriam Comitum Guidiorum, cujus a tenebris eruendæ, conſcribendæque provincia mihi nuper ab eodem demandata eſt; ut quidquam de meo in te amore, aut ut verius dicam, de mea in te obſervantia detrahatur; quæ quidem cum non niſi per litteras ſe tibi probare poſſit, fac, amabo te, Dulce Decus meum, ut ſi hæ tardius tibi redditæ fuerint, non ingratum me & immemorem eſſe tibi perſuadeas, ſed graviſſimis occupationibus vel aurium tenus immerſum; atque adeo ut quibus nunc diſcrucier intelligas, luctandum mihi eſt, dum editionem iſtius ſyntagmatis juſſu Mœcenatis mei urgeo, non modo cum characteribus eroſis & nimia vetuſtate obtuitum pene ipſum effugientibus, aut cum atramento ipſa ferme nive candidiore, preloque di-

diverſis ſui partibus ac velut membris mutilo, ſed præterea cum duobus ineptiſſimis hominibus, quibus horum omnium cura, ad certum tempus commiſſa eſt, ita ut niſi tertii cujusdam in litterarum plumbearum nexu & compoſitione verſatiſſimi ſubſidio adjuvarer, conclamatum prorſus foret de ejus Opuſculi editione, quæ nunquam tamen ſic omni meo conatu atque diligentia accurari poterit, ut non turpiſſima conſpiciatur, pluribusque nævis ac pallore & interjacentibus lineis deformata. Quo factum eſt, ut ipſe tandem in animum induxerim, Exemplar unum in Galliam ad communes amicos transmittere, ut illud ſimul cum elegantiſſimo tuo ejusdem ferme argumenti Opuſculo elegantioribus typis edi procurent; quæ ſane non dubito quin libenter ac commode facturi ſint, cum propter te, cujus doctrinam mirantur & ſuſpiciunt, tum etiam propter me, cui nihil non concedere ſolent, quod ſit utile ac honeſtum: & vero cum ſub diſceſſum meum litteras quasdam tibi tradiderim ab optimis viris tuique amantiſſimis Dominis Elia

 Dio-

Diodato & Petro Gaſſendo, ad quas nondum reſpondiſti, poteris hac oblata occaſione de tuis iterum laboribus familiariter cum ipſis per litteras colloqui, ſimulque tertiam ſubnectere ad virum maxima mihi prorſus neceſſitudine conjunctum, omniumque quos unquam noverim ſapientiſſimum, integerrimumque, Dominum Mothæum Vayerium, cujus tunc quoque temporis epiſtolam tibi perlegi, in qua ſe tibi plurimum commendabat, & quærebat inſuper, quisnam fuerit Legiſlator ille Cinghus & 24 Philoſophi naturales, de quibus habetur mentio Atheiſmi tui triumphati pagina 3, præterea quinam ſint 25 alii ejusdem claſſis, quos vix ab antiquiſſima temporum memoria potuiſti inter legendum animadvertere: qua item in civitate inſcriptio hæc *pro falſariis* poſita fuerit, de qua tu ibidem pagina 139, & unde tandem habuiſti, quod Moſes liberos quosdam habuerit, quibus poterat regnum & ſacerdotium relinquere, quemadmodum videris aſſerere pagina 151. queis omnibus ſi in tua ad eundem epiſtola copioſe ſatis feceris, non mi-

hi

hi tantum pergratum facies, ſed virum inſuper omni mea prædicatione longe ſuperiorem tibi devincies, & cujus amicitiæ te nunquam pœniteat; hujus vero ſponſionis vadem me tanto lubentius exhibere poſſum, quod neminem habeo, quicum majori familiaritatis atque benevolentiæ vinculo conjunctus vivam. Quare non unas tantum, ſed quatuor a te litteras expecto, quas ſimulac eidem chartæ folliculo incluſas eruditiſſimo noſtro Leoni Allatio committes, mihi quocunque tandem locorum fuerim transmittendas. Vale præclariſſimum ætatis noſtræ decus, ac fratri Pignatellæ, optimisque juvenibus & Favillæ & Joanni ſalutem imperti quantam ipſi deſiderare poſſunt maximam. Datum Urbini die 21 Auguſti 1632.

APPENDIX III.

VITA CAMPANELLÆ,

Scriptore

JACOBO ECHARDO,

In Conventu SS. annuntiationis Pariſienſis monacho Dominicano.

Ex eius Tomo II. ſcriptorum Ordinis Prædicatorum p. 505. ſqq.

FR. THOMAS CAMPANELLA, Italus Neapolitanus, vir fuit ſua ætate ejus per Europam & apud eruditos nominis & famæ, ut ejus ſicut & ſui ſimilium vitæ chronotaxin, variosque caſus lector curioſus merito ſcire aveat, quæ proinde hic tum ex ipſius ſcriptis tum ex a nobis viſis, ſervatisve apud nos monimentis breviter expo-

ponere viſum eſt. Nobile fertur in Calabria ſeu Magna Græcia Locros inter & Scyllacium municipium, *Stylum* vocant, alias *Conſilinum*: ibi ad annum MDLXVIII Septembris quinta natus eſt Thomas noſter, ea porro ingenii felicitate, ut quinquennis adhuc puer, quicquid a parentibus, avis aut Concionatoribus, de divinis eccleſiaſticisque rebus audiret, ac pædagogi docerent, illud & facile perſpiceret & corde retineret. Æatis XIII. oratores & poëtas in ſcholis legi ſolitos, harumque artium regulas ſibi ſic fecerat familiares, ut quæcunque ſibi propoſita utraque oratione ſoluta & ſtricta promte redderet & copioſe. Medium ſupra quartum decimum ætatis attigerat, cum de eo Neapolim ablegando, ſub gentili ſuo, ſcilicet Julio Campanella, Juris profeſſore, erudiendo cogitabant parentes, ſed Alberti Magni & Thomæ Aquinatis, quorum acta legerat, exemplis motus, concionibus inſuper excitatus eximii cujuſdam & facundi ex noſtris ſacri oratoris, a quo & dialecticæ rudimenta hauſerat, Ordini nomen dare conſtituit, amplexuſque

xuſque eſt adoleſcens in patria, & profeſſus. Morgentiam poſtea, vulgo *Sangiorgio*, amplum in Brutiis oppidum, miſſus philoſophicis diſciplinis imbuendus, non pauca ibidem ingenii præſtantioris edidit ac reliquit ſpecimina. Conſentiam exinde ad ſtudium provinciæ ſuæ Calabriæ generale tranſlatus, philoſophorum potius ſententiis enucleandis & ad cenſuram revocandis, quam ſcrutandis ſacris Scripturis ſanctorumque Patrum operibus, quod in votis tamen erat ſuperiorum, videtur incubuiſſe, in idque igneas illas, ſubtiliſſimique animi vires quæ in eo emicabant omnes contraxiſſe. Imo libero tum cœlo, propriæque fiduciæ ſe permittens, ulliusque in verba magiſtri jam jurare dedignatus, non ſolum in diſputationibus qua publicis qua domeſticis Peripateticorum placita palam impugnabat, ſed & nova omnia in ſcholas invehere, ſcientiarum & artium omnium inſtaurandarum obtentu, meditabatur. Quod ut aſſequeretur facilius, Balbiam (*Altomonte* vernacule) Brutiorum oppidum ſeceſſit, veterumque philoſophorum ac medicorum libros,

bros, Platonis, Plinii, Galeni, Stoicorum, Democriticorum &c. ſed & novorum ut Raymundi Lulli, ac inprimis cujusdam Bernardini Teleſii Conſentini, celebris ea ætate in philoſophia novatoris, ejusque diſcipulorum, commodantibus amicis, voravit potius quam legit, novaſque ex iis propriisque rerum naturalium ac morum hominum ſpeculationibus ideas ſibi fingens, etſi junior duos ſcilicet ſupra viginti annos ad ſummum natus, inventa ſua ſcribere ac edere cœpit, nec ſcribere deinceps edereve priusquam vivere deſiit. Anno itaque MDXC. Neapolim venit, primumque opus prælo ſubjecit; tum apud Marchionem Lavellium aliquandiu diverſatus quædam alia ſcripſit. Cum autem apud Calabros ſuos Parthenopæoſve, ob eam novandi libidinem, ſcribendive pruritum, non pro merito, ut putabat, æſtimaretur, Romam progreſſus eſt anno MDXCII; ſed neque hîc melius exceptus, Florentiam ad litteratorum Mecœnatem, Ferdinandum I. Magnum Ducem acceſſit, cui & libros quosdam obtulit. Sed & hîc parum mo-

moratus, dum Bononia ex itinere tranſiret, furtim ſublata ei ſunt quæ ſcripſerat edereque parabat univerſa, Romamque ipſo inſcio ad inquiſitionis tribunal transmiſſa. Animum tamen propterea non deſpondens, Patavium quo tendebat adiit, annisque quibusdam ſtetit, nova ſua quosdam ingenuos adoleſcentes Venetos docens, quædam etiam edens. Romam poſt aliquot annos reverſus, meliorem tum quam alias ſortem expertus eſt: juncta etiam cum pluribus ſacri collegii patribus litterarum neceſſitudine. Anno MDXCVIII Neapolim jam redierat, ſed paululum illic commoratus receſſit tandem in patriam ac Stylum ſuum repetiit. Tum autem Theologica ſaltem Thomiſticæ ſcholæ dogmata nondum exuerat, ſiquidem ardentibus ea tempeſtate in Hiſpania noſtros inter & Molinæ defenſores controverſiis, pro Thomiſtis adverſus Molinam ſe ſcripſiſſe ipſe teſtatur.

At en nova rerum facies, quique curſoriam, ut ita loquar, vitam hactenus egerat, ſtatariam vel invitus, & quidem diutius agere coactus eſt. Ex quibus-
dam

dam enim quæ ei exciderant circa Hiſpanum regimen dictis, de novarum rerum in regno Neapolitano molitione, apud Hiſpanos adminiſtros ſuſpectus, Neapolim tanquam Majeſtatis reus traductus eſt anno MDXCIX, & in carcerem recluſus, duriſſimisque tormentis vexatus & interrogatus. Refert Janus Nicius Erythræus, ſeu Joannes Vincentius *de Roſſi*, aliquando *triginta quinque horis continuis tam diram ſuſtinuiſſe quæſtionem, ut ruptis circa ſedem venis arteriiſque omnibus*, vix tandem exundans ex vulneribus ſanguis reſtingui potuerit: quod tamen tormentum tanta animi fortitudine paſſus eſt, *ut ne vocem quidem unam emiſerit docti ac ſapientis viri gravitate indignam.* Sed hæc narrantem ipſum Thomam noſtrum præſtat audire: ſic enim ille Aſtrolog. lib. 5. cap. 3. art. I. pag. 206: *Fuit mihi in directione ſolis & ♀ dominæ geneſis in ♎ ♄ anno Chriſti MDXCIX, & in oppoſitione lunæ & in ejus antiſcio, & me detinuit in carcere annis quindecim, necdum finis. Omitto quid fecerit aliis peremtis & mecum cruciatis.* Ex quibus diſcimus, anno illo apprehenſum fuiſſe,

fuiſſe, & in carcerem conjectum. De quibus autem accuſaretur, & quibus cruciatibus ad confitendum coactus ſit ipſe in procemio Atheiſmi triumphati, quem Scioppio MS. dedit anno MDCVIII, refert his verbis: „ Vide, quæſo, ſimne aſinus ipſorum, qui „ quidem jam in quinquaginta carceribus hucuſque clauſus afflictusque „ fui, ſepties tormento duriſſimo examinatus, poſtremumque perduravit „ horis quadraginta, funiculis arctiſſimis oſſa uſque ſecantibus ligatus, „ pendens manibus retro contortis de „ fune ſuper acutiſſimum lignum, qui „ carnis ſextertium in poſterioribus „ mihi devoravit, & decem ſanguinis „ libras tellus ebibit. Sanatus tandem „ poſt ſex menſes divino auxilio in „ foſſam demerſus ſum. Quinquies „ citatus in judicium primo cauſam „ dixi interrogantibus, Qui litteras „ ſcit cum non didicerit, ergone dæmonium habes? At ego reſpondi, „ me plus olei quam ipſi vini conſumſiſſe, & mihi ab eis dictum fuiſſe „ ſacra ſuſcipienti, Accipe Spiritum „ Sanctum. Secundo accuſatus, quod „ tem-

„ tempore nocturno quid contra præ-
„ latum paraverim, quod ſane mihi
„ propter Philoſophiam id non admit-
„ tenti, ſed viſus defectu laboranti
„ impoſſibile erat. Deinde accuſarunt
„ me, quod compoſuerim librum de
„ tribus impoſtoribus, qui tamen in-
„ venitur typis excuſus annos triginta
„ ante ortum meum ex utero matris.
„ Deinde quod ſentirem cum Demo-
„ crito, quoniam ego jam contra De-
„ mocritum libros edideram. Item
„ quod de Eccleſiæ republica & doc-
„ trina male ſentirem, cum tamen ip-
„ ſe de monarchia Chriſtianorum ſcrip-
„ ſerim, ubi oſtendi, nullum philoſo-
„ phum potuiſſe ſic rectam depinge-
„ re rempublicam, ut Romæ ab A-
„ poſtolis conſtituta eſt. Item quod
„ ſim hæreticus, ego autem ſcripſe-
„ ram Dialogum contra hæreticos
„ noſtri temporis. Nunc tandem me
„ rebellem hæreticumque fecerunt,
„ quoniam prædico ſigna in ſole & lu-
„ na & ſtellis contra Ariſtotelem æter-
„ nantem mundum. Hoc autem faci-
„ nus rebellionis molimen eſſe inter-
„ pretantur, quicumque Machiavel-

„ liſtico ſunt animo, putantes omnem „ doctrinam & conatum eſſe domi- „ nandi gratia excogitatum, & poſue- „ runt me ſicut Jeremiam, in lacu in- „ feriori, ubi nulla lux, nullus aër. Hoc procemium hactenus ineditum ex codice Ienenſi MS. in lucem emiſit Burchardus Gotthelff Struvius, & Actorum litterariorum faſciculo ſecundo inſeruit.

Paulo poſt ſupra relata ſic de ſe loquitur idem Thomas: „ Ego non me „ bonum vendico, ſed unum ex his „ ſceleſtiſſimum. Hoc ergo tantum „ aſſero, eos non habere contra me tan- „ tum, quantum ſufficit meo judicio „ ad punitionem meam. Nemo injuſte „ punitur, ſed multi injuſte agunt. „ At etſi diabolus eſſem, inauditus „ mori contra canones & leges non „ debeo, præſertim cum pollicear Ec- „ cleſiæ Dei tot tantaque beneficia, „ ipſique regi. Quid prodeſt Regi & „ Eccleſiæ mors mea? At ſi promiſſa „ præſtitero, ingentia bona erunt il- „ lis. Hæc quidam interpretantur, quaſi faſſus ſit, ſe lapſum in multis, & callida agitaſſe conſilia: ſed ex his

„ quæ

quæ poſtea evenerunt, videtur ſolum ſe peccatorem etiam inſignem agnoviſſe coram Deo, qualis eſt omnium etiam juſtiorum confeſſio, non vero ullius in regem ſuum reum perduellionis. Nam annis XXVII. circiter, quibus detentus fuit modo in caſtro Ovi, modo in Arce nova, vel etiam in caſtro S. Ermi, a ſtudiis ſcribendiſve libris, niſi forſan in principiis, prohibitus non eſt, imo cum eruditis omnium regionum litterarum commercium fovere, Neapolim venientes & ad ſe facile introductos, præſentibus tamen cuſtodibus, familiariter alloqui, novaque ſua de philoſophia inventa eos docere permiſſus eſt: in quibus laudandus potiſſimum venit Tobias Adami, nobilis Saxo, cui ex peregrinatione Hieroſolymitana redeunti lucubrationes ſuas plures dedit in Germania edendas, quod & ille bona fide præſtitit. non ita alii, qui ab eo accepta non ut promiſerant, imprimi curaverunt, ſed opera propria doctrinâ auctoris adornavere: de quo queritur in Monito ad lectorem, initio libri de ſenſu rerum edit. Pariſ. anni MDCXXXVI. Eo etiam

tempore quædam opera ſacræ facultati Pariſienſi miſit approbanda, de quo ſic legitur in actis: *Anno MDCXXII. Kalendis ſive Nonis Novembris Magiſter Beſſe Syndicus obtulit Facultati ſeu prodidit volumen cum epiſtola cujuſdam Dominicani, cui nomen erat* Campanella, *qui efflictim rogabat Facultatem approbationem ſui voluminis, & quorumdam opuſculorum, quæ auctori prælo matura videbantur. De quibus jure ſuo uſa ſacra Facultas cenſuit approbanda non eſſe opera Campanellæ, ſed ad eum honorificis verbis per ſyndicum reſcribendum eſſe, Facultatem non ſolere aliquorum ne quidem ſuorum opera, eo quo poſtulat modo approbare.*

Neque vero exigua eſt conſtantis ejus in ſuum regem fidei demonſtratio, quod de eo in libertatem aſſerendo apud aulam Hiſpanam plures egerint magnates. FUCKARI ſeu *Fuggeri*, gens in Germania illuſtris, nec parvæ apud domum Auſtriacam gratiæ & auctoritatis ejus dimiſſionem inſtantius requiſierunt: Summus ipſe pontifex Paulus V. de ea per Nuncios pluries tractavit, & jam anno MDCVIII. Sciοppium

Nea-

Neapolim miſerat, qui eam a miniſtris Hiſpanis obtineret. Legi celebrem illum Petrum *Giron*, Oſſunæ ducem anno MDCXI. Neapolitanum proregem conſtitutum, Campanellam in carcere inviſere ſolitum, ejuſque conſiliis in adminiſtratione regni uſum, quod noſtro exitio fuit: nam Prorege illo affectati regni accuſato & proditionis reo deprehenſo, velut ejusdem ſceleris particeps Thomas iterum durius vexari cœpit, ejusque carcer in plures annos prorogatus. At tandem, aſpirante felicius numine, agente Urbano VIII, cui ex pluribus in ejus gratiam ſcriptis notus erat, & in primis carus, ſequeſtro & mediatore Innocentio Maximo, Epiſcopo Catanenſi, operam conferente noſtro F. Seraphino Rinaldi Nucerino, de quo ſupra ad 1627, viro in aula auctoritatis non mediocris, jubente Catholico Rege Philippo IV. a Duce Albæ, tum Prorege Neapolitano, quoad cauſam regiam innocens declaratus eſt & liber dimiſſus XV. Maii MDCXXVI, Romamque continuo ſe tranſtulit. Sic ipſe refert tum alibi, tum in Syntagmate de libris propriis.

Rem alii aliter narrant. Quidam illum hæreſim ſimulaſſe, & ab inquiſitionis Hiſpanæ tribunali ad quod delatus fuerat, ad ſacrum tribunal Romanum appellaſſe, in Urbemque ea ratione deductum, tum aperta ſtropha, quam eo tantum ſtruxerat animo, ut a diutina illa duriſſimaque Neapolitana captivitate liberaretur, ab Urbano VIII. benevole exceptum. Alii ſummum Pontificem ipſum Hiſpanis miniſtris denunciaſſe, quandoquidem Thomas nullius hactenus in regem perduellionis convictus fuerat, Romam mittendum eſſe, ceu qui adverſus doctrinam catholicam ſcripſiſſe ferretur, ut eccleſiaſticis judicibus redderet rationem. Ut ut ſit, nihil enim horum apud ipſum invenio, at ſolum *Deum per miraculum longe mirificentius, quam aſtutum facinus Ulyſſis, quod de antro Polyphemi fecit ut exiret, eum liberaſſe:* Sic enim ille in epiſt. philoſ. real. nuncupat. Certum eſt, eum quibusdam adhuc annis Romæ in ſancto officio detentum, ſed carcere ut ita dicam ſolius nominis, ut quem amici liberrime inviſerent: de quo ſic Gaffa-

rellus

rellus libro, cui titulus *Curioſitez inouiës pag.* 122. Nimirum docebat Campanella, ſi quis ſibi ſimilem cum aliquo faciem, & cætera corporis membra effinxerit, non ingenium tantum illius, ſed & animi ſenſa illico eſſe cogniturum. *Hanc hominis opinionem*, inquit Gaffarellus, *prius ita acceperam, quaſi ſufficeret ſibi alienum habitum, vultum & mores imaginari, verum cum eſſem Romæ, atque eumdem cum aliis captivis inviſerem, ex iſtius proprio facto, qui cardinalis Magalotti, ad quem cum intraremus ſcribebat, vultum uſque ad oris diſtorſiones ſibi fingebat, didici hiſtoricam μίμησιν ab eo requiri.* Romæ igitur tum captivus adhuc detinebatur.

An vero in carcere Romano, an in Neapolitano acciderit, quod refert Bœclerus in elogio Chriſtophori Forſtneri pag. 20. incertus ſum. *Non prætereundum eſt*, inquit, *quod in Italia, cum ad Campanellam inviſeret, ei uſu venit. Tenebatur ille in cuſtodia, nec ad videndum niſi cuſtodibus arbitris quiſquam admittebatur. Plures una acceſſerant, & de more ævi libellos, colligendis illuſtribus nominibus deſtinatos, Campanel-*

læ in cubiculo tradi juſſerant. Poſtquam inſcripſerat is quæ voluit, admiſſos contemplatus, ſine hæſitatione Forſtnerum nunquam antea viſum nomine compellavit, manuque prehenſum de futuris honoribus aliiſque eventibus edocuit. Extitit fides prædictis, ſive liberali & multarum bonarum rerum indice facie feliciter conjecturam facere contigit, ſive veterum de divinatione prudentum ſententiam ad hoc quoque præſtigiarum genus monitu exemploque Cardani referre fas eſt. Quanquam tutius eſt in his, facta ſcire, cauſam ignorare. Hinc ſaltem diſcimus, qua ratione in alterutro carcere cuſtodiebatur.

Plenam libertatem videtur adeptus anno MDCXXIX, ſic enim ille in præfatione in quæſtiones phyſiologicas de ſua philoſophia reali in Germania excuſa, ſed Romæ prohibita, loquens, *quia*, inquit, *obſtabat decretum non quidem S. Congregationis ſed Magiſtri S. palatii, qui non examinatos libros nec viſos, ea ſolum de cauſa, quod majeſtatis apud Parthenopen ſimulato crimine tenebar, non debere liberos eſſe, detento auctore, arbitrabatur; curavimus Romæ an-*

no

no MDCXXIX die ſexta Aprilis me liberato liberari etiam codices meos SS. ac ſapientiſſimo Urbano papa VIII. jubente &c. Neque vero ſummo pontifici ſat fuit, hominem in libertatem aſſeruiſſe, quin conſtituto in ſingulos menſes honeſtiſſimo ſtipendio ſublevarit, atque inter domeſticos interioris admiſſionis habere voluerit, tot denique gratiis cumularit, ac tanta proſequutus fuerit benevolentia, ut ei ob tot beneficia in Campanellam collata panegyricum, ſeu gratiarum actionem publicam, vir eloquens juxta ac eruditus, Gabriel Naudæus, reddendam duxerit, & coram percelebri omnium ordinum conſeſſu pronunciarit anno MDCXXXII quod certe rarum eatenus, ac neſcio an de privato homine alias factum legeris.

Nec tamen ſub his Apum Urbanarum alis ab æmulorum invidia vel Romæ tutus eſſe potuit noſter Thomas: unde a miniſtris Hiſpanis frendentibus quod Gallorum amicitiâ frequentius, uteretur, novaque ab eo molienda, vana licet, metuentibus inſidias ſibi ſtrui monitus, concedente vel etiam

conſulente ipſo pontifice, mutata veſte, Minimorumque Ordinis ſchemate indutus, ac Galliæ Legati, Franciſci *de Noailles*, qui beneficentiſſimum ſe ei patronum exhibuerat, curru vectus, Urbem latenter egreſſus eſt anno MDCXXXIV, & Gallias petens Maſſiliam appulit menſe octobri: quem inde miſſa lectica celebris Nicolaus Peireſcius Aquas ſextias accerſitum opipare in doma ſua excepit: cumque ibidem adeſſet Petrus Gaſſendi, quicum a pluribus annis ſtudiorum ac litterarum arctiſſima ei interceſſerat neceſſitudo, quibuſdam menſibus haud parum voluptatis tres illi eruditi ex mutuis colloquiis perceperunt. Anno ſequenti MDCXXXV. jam ex antiquis laboribus ſat recreatus Thomas, ſumtus etiam itineris liberaliter conferente Peireſcio, Lutetiam advenit menſe Maio, Regem Ludovicum XIII. ſalutavit, a quo perbenigne acceptus eſt, inſuper & favente primo regni adminiſtro Armando, Cardinali Richelæo bis mille librarum annui ſtipendii liberalitate & regia vere munificentia donatus. Quæ narrat ipſe epiſtola philo-

ſophiæ

ſophiæ rationalis nuncupatoria ad Franciſcum Comitem *de Noailles*, utriuſque ordinis regii equitem torquatum & apud ſummum pontificem oratorem &c.
„ Libertatem, *inquit*, honorem & vi-
„ tam tibi debeo. Cum enim ſynago-
„ ga potentium, non Deum, neque
„ jus neque fas verentes, ſed venan-
„ tes gratiam falſis hamis falſisque ve-
„ nabulis a catholico Rege, poſtquam
„ in prima perſecutione me innocen-
„ tem per Ducem Albæ declaraverat,
„ tanquam iterum Zelantes pro regno
„ ipſius, quo poſſent regno ipſius lon-
„ go tempore ad divitias & honores
„ larvatos comparandum abuti, per-
„ que vim perque dolos in partem
„ prædæ invidis falſis etiam fratribus
„ illectis, dum moror in civitate ſanc-
„ ta, conarentur innocentiſſimum ad
„ necem trahere: tu generoſe heros
„ me, quem tota fere Roma ſummus-
„ que Pontifex &c. diffiſi eſſent a
„ violentia & inſidiis poſſe tueri, inco-
„ lumem ſervaſti: & cum explorarent
„ hoſtes me in tuis ædibus refugien-
„ tem, tu illorum eludebas interea
„ technas, dum tuo curru noctu ſub
„ alie-

„ aliena veſte per aliam portam ve-
„ ctum, tuiſque litteris ad principes &
„ conſules obvios futuros commenda-
„ tum, ad Chriſtianiſſimum uſque Re-
„ gem, innocentum refugium, phi-
„ loſophorum ac piorum hominum
„ tutelam, Meſſiæ Regis regum bra-
„ chium, navis Petri ſacram ancho-
„ ram, me transmitteres. Non ſufficit
„ calamus, animi tui robur, ſagacita-
„ tem, induſtriam, & inſignia in hoc
„ eventu facta dictaque deſcribere.
„ Ad illuſtrem ac reverendiſſimum E-
„ piſcopum Sanflorenſem Pariſios, te
„ jubente, tandem applicui. Frater eſt
„ tuus, id eſt, fere alter tu, ideo pror-
„ ſus ut tu mihi affuit. Nunc ad te
„ ſermo meus magnanime Carole, qui
„ humaniſſime recepiſti me peregri-
„ nantem, refocillaſti laſſum, & pe-
„ ne defunctum ad vitam revocaſti,
„ & tandem invictiſſimo Regi regiis fa-
„ voribus cumulandum me exhibuiſti
„ &c. Vivo & tutus a miſeriis, &
„ ſecurus a calumniis, gratias Deo
„ & Chriſtianiſſimo Regi ac miniſtris
„ heroicis, nempe fratribus nobiliſſi-
„ mis Noailliis.

Pa-

Pariſiis reliquum vitæ exegit apud Prædicatores ad S. Honorati vicum, Rege id requirente, honorabiliorique exceptus hoſpitio, ab eruditis vel etiam magnatibus ſæpius inviſus, ut cujus ingenium in Colloquiis mirum emicabat, a rege etiam identidem in conſilium accerſitus, ubi præſertim de rebus Italicis agebatur, cujus teſtes nos ſumus, ſed & meminit Forſtnerus in continuatione poſtrema ad Taciti Annales pag. 59. *Vidi*, inquit, *aliquoties dum apud Cardinalem Richelium Ludovicus rex in conſilio eſſet, Thomam Campanellam, famâ ſuper æthera notum accitum, deque rebus Italicis ſententiam rogatum fuiſſe. Nimirum in iis quiſque negotiis adhiberi debet, quibus par eſt.* Fertur & aliquando a Richelæo rogatum, *num regis frater, Gaſto Borbonius, rex futurus eſſet* (nondum enim natus erat Delphinus, qui fuit Ludovicus XIV) reſpondiſſe, *Imperium non guſtabit in æternum:* Sic habent Naudæana pag. 6. Qui autem eum Pariſiis potiſſimum colebant, clariſſimi fuerunt ejus ætatis doctiſſimique viri, Puteani fratres, Moræus, Diodatus, *La Motte*

te le Vayer, Gaſſendus, cujus extant quinque ad eum epiſtolæ pagg. 48, 54, 56 & 75, & duæ viciſſim Campanellæ ad Gaſſendum pagg. 407 & 408, Gaffarellus, Patinus, Merſennus, Stingelandus, quorum meminit in Syntagmate de libris propriis, aliique plures tum Galli tum exteri. At graviore febri tandem correptus ad mortem Chriſtiano ritu ſe compoſuit, & ſacris piiſſime ſuſceptis miniſtrante F. Guilielmo *Matthieu*, Priore, viro religioſiſſimo, aſtante F. Johanne *Caſalas*, tum Suppriore, totoque conventu, inter Fratrum preces ſpiritum efflavit Deoque reddidit anno MDCXXXIX. ſabbato XXI. Maii, hora more gallico quarta matutina, ætatis LXXI a quinta Septembris inchoato, dieque ſequenti ſolemni ritu, frequentique populorum, eruditorum, magnatumque concurſu in communi Fratrum ſepulchro conditus fuit.

Audivi a noſtris ſenioribus tum viventibus, Campanellam fatum ſiderale ſibi ſemper metuiſſe & prædixiſſe ab eclypſi ſolis prima junii MDCXXXIX. ventura, nihilque propterea in ante-

ceſſum

ceſſum omiſiſſe eorum, quæ ad illud vitandum ipſe præſcribit Aſtrolog. lib. 7. cap. 4. art. I, ſpectantibus & mirantibus qui tum aderant Fratribus: ſed ad diem illum non pervenit, ut hinc omnibus pateret, non penes ſidera, ſed penes Regem regum & Dominum dominantium claves eſſe vitæ & mortis.

Vitam ejus recens ſcripſit Erneſtus Salomon Cyprianus Saxo, in Academia Julia Collegii Caſimiriani director & Profeſſor ordinarius, ediditque Amſtelodami apud Chriſtianum Petzoldum 1705 in 8. Verum quia plura refert vel non ſatis firma, vel etiam explodenda, ideo ne in his quis fallatur, ad cenſuram revocanda viſa ſunt.

Ut Campanellæ opera lectori clarius exhibeantur, quadruplex eorum index viſus eſt inſtituendus. Primus eorum erit juxta ordinem, quo ab eo prodierunt, & qua ratione illa ipſe exhibet in Syntagmate ad Gabrielem Naudæum. Alter erit eorumdem prout ab ipſo fuerunt in decem tomos diſtributa & concinnata. Tertius opera impreſſa exhibebit: Quartus MS. ſolum relicta.

IN-

INDEX PRIMUS CAMPANELLÆ OPERUM juxta ſyntagma de libris propriis.

1. *Carmina multa haud, tamen nervoſa, quæ anno ætatis XIII. in ſcholis agens edidit.*

2. *Oratio metro heroico atque hymno ſapphico, in laudem Toparchæ oppidi ſancti Georgii, cum dominium adiret prima vice, ab ipſo tum philoſophiæ auditore XVII. circiter annorum compoſita, & in conventu noſtro ejus loci recitata coram frequentiſſimo cœtu, multa etiam carmina cum in noſtra ibidem eccleſia tum in triumphali arcu inſculpta.*

3. *Lectiones logicæ, phyſicæ & animaſticæ forma concinna compendioſaque deſcriptæ.*

4. *Elegia in morte Bernardini Teleſii Conſentini, inſignis philoſophi.* Hanc ei affixit Conſentiæ agens, ibique in ſtudio generali ſodalis.

5. *Liber contra Jacobum Antonium Marca, Neapolitanum, qui librum ediderat contra Teleſium,* Pugnaculum Ariſtotelis *attitulatum, octo diſputationibus conſtans: I. de principiis rerum naturalium: 2. de formatione fœtus in utero:*

3. *de cœlo & mundo:* 4. *de elementis:* 5. *de uſu oblique lati ſolis:* 6. *de miſtione Elementorum:* 7. *de qualitatibus eorundem:* 8. *de moventibus & mobilibus. Hic liber polemicus typis prodiit* Neapoli, Horatii Salviani 1590. Tum annorum XXII. vix erat auctor.

6. *Commentarius de ſenſu rerum, & alter de inveſtigatione rerum.* Hos ſcripſit in Marchionis Lavellii domo, Mario Tufo filio favente.

7. *Quoddam Metaphyſicæ novæ exordium, in quo metaphyſicorum principia ſtatuuntur, Neceſſitas, Fatum & Harmonia.*

8. *Philoſophia Pythagorica carmine Lucretiano.*

9. *Carmina quædam latina haud inepta & Phyſiologiæ primus liber, diſputationibus contra omnes ſectas confectus, quem novendecim alii excogitati ſubſecuturi erunt. Sed hæc & ſupra relata omnia, dum Bononiæ hæreret, Patavium petens libros editurus, furtim ei ſublata ſunt* circa MDXCIII.

10. *Empedoclis philoſophia inſtaurata, & nova Phyſiologia juxta propria principia ad Lælium Urſinum.* Scripſit Patavii.

11. *Liber apologeticus de venarum, nervorum & arteriarum origine, & de pulſatione, pro Teleſii commentario, cui titulus*, Animal univerſum &c. *contra Andream Chiocum medicum Veronenſem.* Hoc opuſculum ad Antonium Perſium Teleſianum, apud Lælium Urſinum Romæ commorantem, miſit.

12. *Rhetorica nova nobilibus quibuſdam Venetis auditoribus dictata Patavii.* Romam cum exinde adiiſſet, hos libros omnes amiſit, ſed ipſi Bononiæ ſurreptos in ſancto Officio didicit retineri, nec repetiit.

13. *Compendiolum Phyſiologiæ Romæ dictatum.* Typis prodiit inſcio auctore ſub titulo, *Prodromus totius Philoſophiæ Campanellæ*, Francofurti, curis Tobiæ Adami 1611.

14. *Phyſiologia compendioſa ad Marium Tuſo miſſa.* Scripſit Romæ.

15. *Syntagma de rei equeſtris præſtantia ad eumdem Marium.*

16. *Conſultatio vulgari* Italico *ſcripta an expediat Reipublicæ Venetorum, ſinere oratores aliorum principum in ipſorum ſenatu propria loqui lingua.* Hanc dedit Angelo Corræo Patritio Veneto.

17. *De Monarchia Chriſtianorum commentarius, quibus artibus res Chriſtiana crevit, creſcet, & decreſcere ſolet, & quibus recuperanda ſit.* Ubi & *Parallelum inter regnum & reges Hebræorum, & regnum regeſque & imperatores Chriſtianorum.* Patavii ſcripſerat, priuſquam Romam accederet.

18. *De regimine Eccleſiæ ad pontificem, quibus modis non obnoxiis principum contradictionibus, ex toto mundo pontifex maximus ſolis armis eccleſiaſticis poteſt efficere unum ovile ſub paſtore uno.* Dedit Lælio Urſino & Mario Tuſo, autographum vero furati ſunt in Calabria infideles amici.

19. *De modo ſciendi & phyſiologica verſibus Etruſcis.* Romæ ſcripſerat, ſed amiſit Neapoli.

20. *Poëtica juxta propria principia.* Scripſit Romæ, deditque Cynthio Aldobrandino Cardinali Sangeorgio. Hanc Hiſpanus quidam ſua lingua redditam proprio nomine edidit, & ut plagium tegeret, in fine excuſat, quod Poëtas Italos, Arioſtum, Taſſum, Guarinum, etſi Hiſpanus, plerumque laudet. Quam opellam ut vidit Campanella tum Nea-

 poli

poli MDCXVIII. detentus in arce regia, riſit hominis audaciam, quam arguunt exempla operis Campanellæ jam antea ubique multorum manibus trita.

21. *Dialogus vulgari lingua, de ratione convincendi hæreticos noſtri temporis, omneſque ſectarios contra Romanam Eccleſiam inſurgentes, per quodlibet mediocre ingenium & unica prima diſputatione.* Scripſit Romæ, deditque Michaëli Bonello Cardinali Alexandrino, Antonio Perſio, & poſtea Pariſiis exiſtens Naudæo, non tamen edendum, quia jam antea Latine tranſtulerat.

22. *Orationes politicique diſcurſus, carmina Etruſca & Latina multa.* Scripſit Romæ, amiciſque dedit etiam ipſorum nomine propalanda.

23. *Ars metrica vulgaris ſermonis, Latinæ perſimilis, unde cujuſque Syllabæ quantitatem diſcere ac ſervare queas.* Scripſit Romæ, deditque Joan. Bap. Clario, Medico Archiducis Caroli, ac duobus juvenibus Aſculanis. Quæ Romæ ſcripſit, hæc omnia ante annum MDXCVIII.

24. *Epilogus Phyſiologiæ atque Ethices.* Perfecit Neapoli anno illo eodem.

25. *Tragœdia: Maria Scotorum regina*, Lingua ſua vernacula, ac ſecundum *Poëticæ ſuæ regulas. Opera non ſpernenda.* Scripſit in Calabriam & patriam ſuam, *Stylum*, redux.

26. *De auxiliis contra Molinam pro Thomiſtis, & diverſa opuſcula in gratiam amicorum.* Scripſit ibidem.

Sequuntur opera, quæ tanquam reus Majeſtatis detentus, Neapoli in caſtro Ovi & in arce nova ſcripſit ab anno MDC. ad MDCXXVI:

27. *Septem libri attitulati Cantica.* quædam ſelecta ſub Squillæ Septimontani nomine typis edidit Tobias Adamus additis annotationibus. *Elegiæ de propriis & amicorum ærumnis. Rhytmi prophetales. Pſalmodia quadruplex de Deo & omnibus ejus operibus.* His poëticis amicos conſolatus eſt, ne in tormentis deficerent. Habuit idem Adamus ultra 200 epiſtolas Philoſophicas, maximam partem a Campanella ſcriptas.

28. *Aphoriſmi politici*, quibus addit *Oeconomicam & Ethicam juxta doctrinam*

nam primalitatum, *atque Ideam Reipublicæ*, quæ ab ipſo dicta eſt *Civitas ſolis*; vernaculo ſuo Italico: ſed Latine hæc omnia ab eo reddita typis prodierunt ſub titulo *Philoſophiæ realis in IV. partes ſectæ*, Francofurti, curis Tobiæ Adami 1620.

29. *De monarchia Hiſpanorum*, Italice. Prodiit poſtea Latine & Germanice.

30. *Articuli prophetales quindecim pro defenſione dictorum ſuorum, unde anſam arripuerant eum faciendi reum majeſtatis: & hoc ex dictis Prophetarum, Sibyllarum, & Sanctorum, & ex politica & aſtrologica prædictione, ubi & oſtendit clavem ſcripturæ per ſeptimanas creationis, ſecula mundi, ætates Synagogæ & Eccleſiæ, & per ſigilla, phialas, eccleſias, candelabra & tubas de eventibus ſeculi.*

31. *Opuſculum ad capita factionum de eligendo ſummo pontifice ſemper optimo.* Habebant cardinales Burgheſius & Ludoviſius, & alii conclaviſtæ Urbani VIII. ad quos miſſus.

32. *Medicinalium libri VII. juxta propria principia, ubi oſtenditur medicinam anti-*

antiquorum cæcam fuiſſe, modernorum oculatam. Extabat apud ſe, Tobiam & Fauillam.

33. *De ſenſu rerum iterum & de magia Libri IV. Italice & Latine.* Prodierunt Francofurti 1618. curante Tobia Adamo.

34. *Adverſus aſtrologos Judæos, Arabes & quoſdam Latinos Libri VI. de Aſtrologia ex naturæ decretis.* Hos cum de ſenſu rerum & de magia poſt editionem Francofurtenſem recognitis & diligentius accuratis, & de medicina libris Antonius Soubron, bibliopola Lugdunenſis, edendos acceperat anno 1622. Sed cum neglexiſſet, eo mortuo, ab hæredibus autographum ſuum nondum recuperare potuerat auctor: ſed poſtea typis prodierunt Lugduni Jacobi, Andreæ & Matthæi Proſt. 1629. in 4, auctore adhuc Romæ in ſancto officio detento.

35. *De Aſtronomia libri IV, ubi explosis epicyclis & excentricis Ptolomæi, Copernici motibus telluris & librationibus, Ariſtotelis ac aliorum circulis homocentricis, Kalippi Eudoxique additis revolutionibus, novum ſyſtema exhibetur, re-*

recentiorum phænomenum ratio redditur ex uno deſcenſu ſolis inceſſabili ſed irregulari ad telluris combuſtionem. Abſtulit domeſticus Nuntii apoſtolici Neapolitani, miſſus ad perquirenda ſcripta auctoris in caſtro Ovi anno MDCXI, nec recuperare potuit ille unquam, aut ſcire quid de eo actum fuerit, qui tamen ad ſuam phyſiologiam & metaphyſicam remittit, ubi ſyſtematis ejus poſitio agnoſci poteſt.

36. *Quæſtiones ſuper phyſiologiam, ethicam, politicam, œconomicam & civitatem Solis, diſtinctæ ſimiliter in partes IV, contra ſectarios antiquos & modernos pro philoſophia ſanctorum tuenda, quam tradiderat ſtylo epilogiſtico in præfatis libris per Tobiam editis.* Has Quæſtiones habebant idem Tobias, Favilla & Scioppius, ſed nondum ultima manu perfectas: auctor autem recognitas & accuratas ac prælo paratiores apud ſe habebat.

37. *Metaphyſica, vernaculâ ſuâ linguâ, in tres partes & libros quindecim diſtincta, ubi de principiis eſſendi, cognoſcendi, & operandi, ac ſupra Neceſſitatem, Fatum, Harmoniam ab illo olim excogitata*

gitata poſuit cauſas & principia, primalitates entis. Quod opus anno MDCIII. ſcriptum, Hieronymo Tufo, Lavelli marchioni dederat, eoque mortuo a ſervo ejus, nomine Gallo, ſubreptum tandem habuit Io. Bap. Heredius, Piſanus Apulus.

38. *Nova Metaphyſica Latine anno MDCX. ſcripta*, quæ tamen a Nuntii apoſtolici domeſtico rapta periit. In meliorem formam rurſus ab auctore ſcripta eſt, in qua

I. P. *De vero ſapiente agit, & quomodo agnoſcendus: item de ſcientiæ acquiſitione, utrum illa detur ſecundum ſe, an ſecundum nos tantum, an utroque modo, & de Scepticorum, Protagoræ, Platonicorum & omnium ſuper hoc opinionibus diſputatur. Item de principiis ſciendi per categorias, ubi Platonicæ, Peripateticæ, Epicurææ, Lullianæ, & Architæ categoriæ examinantur. Item de univocis, analogis, primalitatibus, eſſentiatione, principiis & principiatione, cauſis & cauſatione, effectibus, ſeminibus, occaſionibus, conditionibus, natura, & arte agitur.*

In II. P. *de ente, & non ente, &*

de exiſtentia, de horum cauſis, principiis, & primalitatibus, item de objectis, vita, vero, & bono, deque oppoſitis, de magnis horum influxibus, neceſſitate, & contingentia, fato, & fortuna, harmonia, caſu & ſorte: item de baſibus exiſtentiarum, ut de quintuplici mundo, Spirituali, materiali, mathematico, mentali, & archetypo, interius, exteriuſque ordinatis & complexis.

In III. P. denique *de principio, & fine entium omnium & non entium, de ideis, de intelligentiis, de illicibus, de mentibus corporatis, de vitis humanis, divinitus, cœlitus, angelitus, diabolitus, humanitus, beſtialitus comparandis: de gubernatione mundi & ſyſtematum, de religione, de prophetis, de legiſlatoribus horumque examine, de beatitudine, & reverſione rerum ad Deum, de immortalitate animorum; de mundis, de ſeculis ſeculorum, & hæc juxta omnium gentium opinionem & ſcientiam & revelationem.* Acceperat hoc opus Tobias Adamus a Gregorio Coſta, ſed non edidit, quia monitus eſt, ab auctore accuratius haberi.

39. *Libri XXIX. de Theologia juxta*

ſuam

ſuam Metaphyſicam, ubi omnium nationum, Mahumetanorum, Thalmudiſtarum, Americanorum, ac Indorum leges examinantur. Opus, inquit auctor, utiliſſimum. F. Paulus Pyromallus ejus diſcipulus habuit exemplum completum, Joannes Bſumius Saxo libros tantum nonnullos.

40. *Opuſculum de conceptione, in quo conciliantur opiniones omnium pro ſancto Thoma.*

41. *Libri IV. intitulati quod* Reminiſcentur & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, *ſcripti annis MDCXVII. & XVIII. ad quatuor magnas mundi nationes, Chriſtianam, Gentilem, Judaicam, & Mahumetanam.* Huic operi additus eſt *Liber contra Atheos omnem religionem negantes, & alter de Monarchia ſapientiæ æternæ in humano corpore aſſumto, ubi de juribus pontificis & principum in temporalibus & ſpiritualibus, juxta naturæ & ſcripturæ utriuſque teſtamenti dogmata, tollentia lites inter laicos & eccleſiaſticos principes, diſputatur.* Librum contra Atheos improbavit Bellarminus, unde auctor anno MDCXXVI. Romam veniens opus

pus propugnavit & praelo commiſit anno MDCXXX.

42. *Libellus de juribus regis Catholici in novum orbem, contra adulantes & adverſantes.*

43. *Philoſophia rationalis in quatuor partes diviſa, Logicam, Rhetoricam, Poeticam, & Hiſtoriographiam.* Scripſit in caſtro Ovi: *Grammaticam* addidit in arce nova. Habebant F. Paulus Pyromallus laudatus & F. Thomas Pignatellus, & alii, ut & Tobias Adami, ſed imperfecte; ſed auctor poſtea ultima manu polivit.

44. *Compendiolum phyſiologiæ tironibus recitandum*, quod Pariſiis Naudæo dedit.

45. *Libellus de mathematicis ſcientiis inſtaurandis, ac metaphyſica ratione fundandis.*

46. *Opuſculum de regimine Regni Neapolitani ad comitem de Lemos*, ſub nomine magiſtri Seraphini Nucerini, curatoris ſui amantiſſimi.

47. *Conſultationes pro cenſu ejus regni augendo ſupra millionem abſque damno regni & regis*, vernacula lingua. Ab auctore accepit Scioppius anno MDCVIII.

MDCVIII. cum venit Neapolim de ejus libertate tractaturus, a Paulo V. miſſus.

48. *Atheiſmus triumphatus.* Hunc enim titulum idem Scioppius dedit operi auctoris, qui alium volebat, ſcilicet, *Recognitio religionis ſecundum omnes ſcientias, contra Antichriſtianiſmum Machiavelliſticum.* Hunc etiam dedit anno MDCVIII. Scioppio, codicemque hunc MS. eumdem putant, qui modo aſſervatur Jenæ in Bibl. publica, vel ſaltem ejus exemplum apographum.

49. *Monarchia Meſſiæ, occaſione diſſidii inter Paulum V. & Rempublicam Venetam.*

50. *Libellus pro Papa, juxta canones & Politica optima.*

51. *Lamentationes inſtar Threnorum Hieremiæ, mala futura in toto orbe, ſi diſſidium illud Venetum amplius duraret, auctore præſagiente per oraculorum & ſcripturarum enucleationes.*

52. *Opuſculum de peſte Colonienſi, quæ tunc graſſabatur, ad nobiles Henetos.* Rogante Scioppio.

53 *Remedium contra luem Veneream.*

54. *Ratio extrahendi hydrargyri viſceribus & oſſibus unctorum intruſi per cucurbitulas aureas.*

55. *Opuſculum contra ſurditatem, herniam, & contra frigus inalpinum.* Scioppio in Germaniam tranſituro.

56. *Quædam reſponſiones ad regem Britanniæ.*

57. *Epiſtolæ plures ad Scioppium & ad Dominos Fuccaros, pro libertate ejus obtinenda laborantes, ac de variis quæſtionibus reſponſiones.*

58. *Apologeticus pro Antonii Perſii libello de potu calido ad eumdem miſſus.*

59. *De regimine Eccleſiæ ad Paulum V.* Dedit Scioppio, ſed poſtea recognovit, accuravit, & per aphoriſmos concinnavit.

60. *Apologeticus pro carminibus Virginii Cæſarini in nuptiis principis Ludoviſii.*

61. *Aliud ad Cardinalem Bellarminum contra cenſuram librorum ſuorum ad congregationem de propaganda fide delatorum.*

62. *Metaphyſica rurſus recognita, & omnibus numeris abſoluta.*

63. *Liber de fato ſiderali vitando.*

Quem

Quem mutuatus inſidioſus Frater una cum ſex libris aſtrologicis, ut eo nomine odium Urbani VIII. aſtrologiam deteſtantis auctori conciliaret, typographo Lugdunenſi dedit, a quo publicatus eſt anno 1629. ad calcem ſex librorum dictorum de aſtrologia: & ſimul auctorem accuſavit inobedientiæ circa impreſſionem, & ſuperſtitionis circa res impreſſas: quare auctor ut a ſe non typis datum, nec ſuum agnoſcere voluit & *Apologiam* ſcripſit, quam cenſores delecti probarunt.

65. *Opuſculum de titulis ad Virginium Urſinum, cum præſciret velle Urbanum VIII. titulum novum Cardinalibus aſſerere.*

66. *Opuſculum de aſſiſtentia DD. Cardinalium in curia, & de non reſidentia in epiſcopatibus, niſi ubi otiantur Romæ, per canones, theologiam & politicam.*

67. *Quæſtio an præſtet Baronibus & populis vivere ſub eccleſiaſtico, an ſub laico quocunque alio dominio?* Vernacula ſua lingua.

68. *Opuſculum quod libertas ſub papatu major eſt, quam ſub quocunque alio prin-*

principatu aut republica. Quæ duo ultima erant apud Naudæum.

69. *Conſultatio ad reges Chriſtianiſſimum & Catholicum, pro pace perpetua circa prætenſiones ad regnum Neapolitanum.*

70. *Conſultatio altera, quibus quotve modis pauci contra plures pugnare ac vincere poſſint, ad Philippum M. Coneſtabilem.*

71. *Defenſio librorum de ſenſu rerum juxta ſacræ ſcripturæ & naturæ codices, & patrum, ſcholaſticorum ac philoſophorum omnis ſectæ placita.*

72. *De philoſophia gentilium non retinenda & de novæ cudendæ utilitate, ac an liceat jurare in verba magiſtri.* Naudæus habebat ab auctore acceptum.

73. *An ſit contra ſacram ſcripturam & patres aſſertio Copernici de motu terræ & quiete ſolis. Opella ad Bonifacium Cardinalem Cajetanum* ſcripta jam ab anno MDCXI. poſtea publicata typis Germanicis.

74. *Expoſitio cap. 9. epiſt. ad Rom. quo ſe plurimum efferunt Calviniſtæ, & Lutherani, ad comitem Braſſacum, regis Chriſtianiſſimi ad ſummum pontificem Oratorem.*

75.

75. *Cento Thomiſticus de prædeſtinatione & reprobatione, auxiliis, libero arbitrio, adverſus pſeudo Thomiſtas.* Ad eumdem Bruſſacum.

76. *De canonizatione ſanctorum ad Cardinalem Mellini.*

77. *De utilitate potus calidi, extemporaneus, adverſus medicos, ad eumdem.*

78. *De aulicorum technis. Ad eumdem.*

79. *Oratio de Rupella recepta.* Hanc alius ſuo nomine recitavit.

80. *Quatuor orationes de laudibus S. Thomæ de Aquino, ſtudio Seraphini Rinaldi Nucerini, de quo ſupra, Neapoli recitatæ, & a Fauilla deinde conſervatæ.*

81. *Volumen ingens commentariorum ſuper poëmatibus Urbani VIII, continens expoſitiones grammaticas & philoſophicas, poëtis, oratoribus, phyſiologis, politicis, prædicatoribus, theologis, mathematicis, mores bonos curantibus, ad ſcientiarum inſtaurationem incumbentibus utiliſſimas.* Habebat tum præ manibus, cum Naudæum alloqueretur.

82. *Syntagma cur ſapientia & virtute eximia præditi, benefactores generis humani in magnis temporum articulis violentam mortem, ſub prætextu læſæ majeſta-*

tis divinæ & humanæ incurrunt, ac poſtmodum cultu ac gloria reviviſcunt. Scripſit Neapoli detentus ut reus, ſed cui dederit non recordabatur.

INDEX ALTER OPERUM CAMPANELLÆ, prout ab eo fuerunt in X. Tomos diſtributa, ad calcem philoſophiæ rationalis.

I. *Philoſophiæ rationalis partes V, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Poëtica, Hiſtoriographia.*

II. *Philoſophiæ realis partes quatuor. Phyſiologia, Ethica, Politica, Oeconomica cum textu & quæſtionibus. His additur Civitas ſolis cum qq. & liber de Regno Dei ad politiam eccleſiaſticam, & Diſputationes octo pro Teleſio contra Peripateticos.*

III. *Philoſophiæ practicæ partes tres. Medicinalium VII. De ſenſu rerum & Magia IV. Aſtrologiæ VI. & de fato ſiderali vitando unus.*

IV. *Philoſophiæ univerſalis ſeu Metaphyſicæ partes tres, libri XV.*

V. *Philoſophiæ divinæ ſeu Theologicorum libri tres pro cunctis nationibus.*

VI. *Theologiæ practicæ partes quatuor, videlicet pro converſione nationum libri attitulati, Reminiſcentur &c. ad Chriſ-*

tianos

tianos, Judæos, Gentiles, Mahumetanos. Item contra Atheiſtas: item contra hæreticos & Perthomiſtas cento Thomiſticus, cum expoſitione cap. noni epiſt. ad Romanos, & Diſputatio pro bulla pontificia contra judiciarios.

VII. *Praxis politicæ partes quatuor, ſcilicet de Monarchia Chriſtianorum ad principes, de Monarchia Meſſiæ ad ſapientes, cum appendice de jure Catholici regis in novum orbem. Item de Monarchia Hiſpanorum. Item panegyricus pro eodem ad Italos principes, & Remedium contra timorem ab illa.*

VIII. *Poëmatum partes tres. Philoſophia Pythagorica carmine Lucretiano inſtaurata. Item elegiæ, & epigrammata varii generis. Item poëmata in lingua Italica, partim metaphyſicalia, partim politica, ad Philoſophos & amicos. Item elegiaca de propriis & ſuorum ærumnis. Item ars verſificatoria de metro Latino applicando vulgari linguæ, multaque poëmata hoc ritu exarata.*

IX. & X. *Miſcellanea opuſcula.*

1. *Diſputatio ad utramque partem de motu terræ & quiete, vel ſolis, vel telluris.*

2. *Dialogus politicus contra hæreticos noſtri temporis.*

3. *Diſtichon & Dialogus pro rege Galliarum & Cardinali de Richelieu.*

4. *Item pro eodem contra murmurantes, Carolus Magnus.*

5. *Item de præcedentia præſertim religioſorum.*

6. *Item de conceptione Virginis.*

7. *Item, an monarchia Hiſpanorum ſit in augmento, vel in ſtatu, vel in decremento.*

8. *Item, quot modis poſſint pauci in bello vincere multos.*

9. *Item de titulis.*

10. *Item de reſidentia & aſſiſtentia Cardinalium & epiſcoporum jure.*

11. *Item libellus de epiſcopo.*

12. *Item quæſtio, utrum utilius & commodius ſit vivere ſub principatu eccleſiaſtico quam ſeculari.*

13. *Item de ampliſſima libertate Romana ſub papatu.*

14. *Item utrum imperium Romanum hoc tempore mutari debeat & poſſit, & a quo?*

Item de regimine eccleſiaſtico ad convertendum mundum ſub uno grege unoque

paſtore

paſtore non obnoxio contradictionibus principum.

16. *Item Commentaria philoſophica & grammaticalia in poëmata Maffei Barberini id eſt Urbani VIII.*

17. *Item orationes tres de laudibus D. Thomæ.*

18. *Item oratio ad regem Galliæ, & ad regem Hiſpaniæ de regno Neapolitano.*

19. *Item diſputatio cur Galli cum ſint potentiores numero, viribus, pecunia & neceſſariis rebus ad victum & veſtitum, ſuper omnes nationes non dominantur, Hiſpani vero imbecilliores e contra.*

20. *Apologia pro Antonio Perſio de potu calido.*

21. *Apologia pro Teleſio de origine & uſu venarum, nervorum & arteriarum.*

22. *Item de peſte Colonienſi.*

23. *Item cur in magnis articulis temporum viri præclariſſimi benefactores generis humani occiduntur, titulo læſæ majeſtatis divinæ & humanæ & in ſequenti ſeculo reſuſcitantur & coluntur.*

24. *Item cur antiqui reges non coarctaverunt gloſſis auctoritatem Melchi-*

ſedecheam papæ, ſicut plerique recentiores.

25. *Item orationes politicæ pro ſeculo præſenti, una ad Batavos, altera ad Venetos, tertia ad Sabaudum, quarta ad Genuenſes, quinta ad ſummum pontificem.*

26. *Item aphoriſmi politici pro ſeculo præſenti.*

27. *Item a quibus deſiderari pax debet, ſecundum politicos.*

28. Item *politica conſultatio contra prædeterminatores ad Venetos.*

29. *Item conſultatio ad tollendam famem de regno Neapolitano cum lucro regis & uſurariorum emendatione.*

30. *Item de exigendis tributis cum populorum gaudio & lucro regis.*

31. *Item de regni noviter occupati ſtabilimento.*

32. *Item de papatus bono ad principes orationes tres.*

33. *Item de libris propriis. Sunt & alia opuſcula Latino & Italico idiomate, metro & proſa.*

Allatius in ſuo *Apes Urbanæ* hæc opera in X. Tomos paulo aliter diſtribuit, quem excipit Toppius in *Bibl. Napol.*

Napol. verum ſatius viſum eſt illi ordini ſtare, quem exhibet philoſophia rationalis ſub oculis auctoris edita.

INDEX III. OPERUM quæ revera typis prodierunt, ſervata editionum chronologia, & additis virorum eruditorum, ſi quæ emanaverunt, cenſuris.

1. *Philoſophia ſenſibus demonſtrata, & in octo diſputationes diſtincta, adverſus eos, qui proprio arbitratu, non autem ſenſata duce natura philoſophati ſunt: ubi errores Ariſtotelis & aſſeclarum ex propriis dictis, & naturæ decretis convincuntur, & ſingulæ imaginationes pro ea à Peripateticis fictæ prorſus rejiciuntur, cum vera defenſione Bernardini Teleſii Conſentini, philoſophorum maximi, Antiquorum ſententiis, quæ hic dilucidantur & defenduntur, præcipue Platonicorum confirmata: ac dum pro Ariſtotele pugnat Jacobus Antonius Marta, contra ſeipſum & illum pugnare oſtenditur*, Neapoli, Horatii Salviani 1591 in 4. Opus Mario de Tufo, Marchionis Lavellii filio nuncupatum. Meminit auctor Syntag. n. 5. Extat in Bib. Barber.

Hoc opus duos ſupra viginti annos

vix natus, minus undecim menſibus ſcripſit, inquit Janus Nicius Erythræus, cum Antonius Marta ſuum undecim annorum labore ſtudioque exaraſſet. Idem addit, Campanellam cum „ hu-
„ jus imprimendi gratia Neapolim ve-
„ niſſet, atque e navi egreſſus, præ-
„ ter ædem S. Mariæ Novæ Fran-
„ ciſcanorum ligneo utentium ſocco
„ tranſiret, ex turba euntium ac præ-
„ tereuntium incenſum fuiſſe cupidi-
„ tate cognoſcendi quid intus rei age-
„ retur, atque diſputationibus ope-
„ ram dari cognoviſſe, in quibus cui-
„ vis contra diſſerendi facultas daba-
„ tur. Itaque ſeſe certamini una cum
„ aliis objecit, cœpitque ea quæ tan-
„ quam firma ac rata ponebantur, tot
„ argumentis tam validis, tam apte
„ arguteque concluſis labefactare, at-
„ que convellere, ut ovanti ſimilis
„ reductus ſit domum a Fratribus ſui
„ ordinis, ac poſtero die & aliis dein-
„ ceps multis coactus ſit in eruditam
„ illam aciem certamenque deſcende-
„ re, unde ſemper magna cum laude
„ victor diſcedebat.

Simile jam antea ipſi accidiſſe Con-

ſentiæ

ſentiæ refert Erneſtus Salomon Cyprianus citatus, ſcilicet eum „ quem
„ in philoſophia præceptorem habe-
„ bat, a Franciſcanis ad publicum cer-
„ tamen evocatum fuiſſe: cum autem
„ is morbo prohibitus adeſſe non poſ-
„ ſet, Campanellam in locum ſuum
„ ſubſtituit, imperata obedienter fac-
„ turum. Non aliam diſputationem
„ acriorem fuiſſe proditum eſt memo-
„ riæ. Urgebat Franciſcanum Tho-
„ mas, obtundebat, ac demum ea
„ cum laude vincebat, ut dicerent
„ auditores, Teleſii animam in Cam-
„ panellæ corpus migraſſe. Qua voce
„ incenſus ille fuerit cupiditate ſcien-
„ di, qui vir fuiſſet Teleſius, de
„ quo hactenus nihil habuerat com-
„ pertum.

„ De quibus hiſtoriolis penes aucto-
„ res ſit fides! apud ipſum Campanellam
„ lego ſolum, ipſum publice diſputan-
„ tem Conſentiæ, nedum cum Fra-
„ tribus ſuis privatim, parum quietis
„ in reſponſis illorum inveniſſe, ſed
„ Teleſii paulo ante mortui operi-
„ bus ob libertatem philoſophandi
„ mire delectatum, quod ex rerum

„ natura, non ex dictis hominum
„ penderet.

2. *Prodromus philoſophiæ inſtaurandæ. Id eſt: Diſſertationis de natura rerum Compendium, ſecundum vera principia ex ſcriptis Thomæ Campanellæ præmiſſum.* Tobias Adamus qui editionem curavit, addidit præfationem ad philoſophos Germaniæ. Francofurti, Jo. Bringeri 1617 in 4. pp. 86. Extat Pariſ. in Regia R. 760. & recenſetur in Bodley. & Romæ in Barb. Meminit auctor Syntag. n. 13.

3. *De ſenſu rerum & Magia libri IV. Pars mirabilis occultæ philoſophiæ, ubi demonſtratur, mundum eſſe Dei vivam ſtatuam, beneque cognoſcentem, omneſque illius partes partiumque particulas ſenſu donatas eſſe, alias clariori, alias obſcuriori, quantum ſufficit ipſarum conſervationi ac totius in quo conſentiunt, & fere omnium naturæ arcanorum rationes aperiuntur. Tobias Adami recenſuit, & nunc primum evulgavit*, Francofurti, Egenolphi Emmelii & Godefridi Tampachii 1620 in 4 pp. 371. Quæ editio extat Pariſ. in Reg. R. 760, & meminit auctor Syntag. nn. 6. & 33,

ſed

ſed & ipſe libros eoſdem *correctos & defenſos a ſtupidorum incolarum mundi Calumniis per argumenta & teſtimonia divinorum codicum, naturæ ſcilicet ac ſcripturæ, eorumdemque interpretum, ſcilicet theologorum & philoſophorum, exceptis atheis*, iterum prælo ſubjecit, & Cardinali Duci Richelæo nuncupavit, Pariſiiis, Ludovici Boullenger 1636 in 4 pp. 229, cujus meminit in Syntag. n. 70.

Hoc opus Athanaſius Rhetor ΑΘΑΝΑΣΙΟΣ Ο ΡΗΤΟΡ, Græcus presbyter Byzantinus, vir eruditus ac pius, Campanellæ æqualis, Pariſiis ſtipendiis Cleri Gallicani vivens eadem ætate, integro volumine impugnavit Græce ſcripto, cui titulum fecit, Ανατροπὴ δογμάτων τȣ̃ περὶ ἀισθήσεως τῶν ὀντῶν, &c. quem Latine ſic reddo, *Everſio dogmatum libri de ſenſu rerum, in qua mundum non eſſe animal, & multo minus rationale & intellectuale, neque quamvis illius partem, partiſque particulam anima vel ſenſu donatam eſſe, nec ab eo partes neque totum conſervari, ut ſtupidi incolæ hujus mundi, cujus princeps jam judicatus eſt, Manichæi, Marcioniſtæ, Ori-*

Origeniſtæ, & cæteri athei volunt, ſed providentia Dei ſola, teſtimoniis ſacræ ſcripturæ & SS. Patrum, ad Catholicæ fidei defenſionem probatur. Auctoris protographum Græcum in papyro deſcriptum & elegans ſervatur Pariſiis in Bibl. Franciæ Cancellarii Petri Segujer, cui & auctor opus hoc dicavit, quæ Bibliotheca nunc eſt Coiſſiniana, eſtque codex in fol. 600. pagg. & amplius, in quo nervoſe quidem, & juxta ſenſum Græcorum Latinorumque patrum conſone ſed acriter Campanellam ſtringit & arguit, typis autem non edidit, ſed ejuſdem operis Synopſim Latine ſcripſit hoc titulo: *D. Athanaſii Rhetoris presbyteri Byzantini Anti-Campanella in compendium redactus, adverſus librum de ſenſu rerum & magia,* eidem Franciæ Cancellario dicatus adjecta approbatione Franciſci *Hallier*, Iſaaci *Habert* epiſcopi Vabrenſis, Samuelis *Martineau* epiſcopi Bazatenſis, Alphonſi *le Moine* doctoris Sorbonici, & Dionyſii *de la Barde* epiſcopi Briocenſis data Pariſiis 20 & 23 febr. 1638, licet prælo prodierit tantum Pariſ. Juliani Jacquin 1655 in 4.

Hic

Hic autem Athanaſius ætatis XCII. ſebri correptus obiit Pariſiis in vico S. Joannis Bellovacenſis ad Puteum-certum, die Martis XIII. Martii MDCLXIII, ſepultuſque fuit in æde ſacra S. Stephani de Monte: ille vero vir curioſus codices Græcos MS. bene multos, ac venerandæ antiquitatis, ex Oriente ſibi compararat, qui ab ejus morte in laudatam Seguieranam tranſierunt, quorum catalogum notis hiſtoricis illuſtratum edidit clariſſimus aſceta San Maureus Bernardus de Montfaucon,

Eoſdem de ſenſu rerum libros graviori cenſura notarunt viri eruditi, inter alios Marinus Merſennus ord. Minim. Commentarii in Geneſim Col. 1164. ubi ſic habet, *Librum Campanellæ de ſenſu rerum & magia, & quoſcumque alios ei ſimiles digniſſimos eſſe puto, qui flammam ſentiant, & fumo incantentur.* Legendus idem pp. 130, 707, 708, 939, quibus Campanellæ principia confutat. Merſenno tamen alias noſter erat magnus Campanella, ut legere eſt in ejuſdem epiſtola ad Gaſſendum data novis Kalendis anni 1636. pag. 430. a.

Da-

Daniel Georgius Morhofius Diſſertatione *de paradoxis ſenſuum* cap. I. ſic habet. „ Thomas Campanella ſen-
„ ſu ſuo adeo abundat, ut de eo om-
„ nibus corporibus largiatur: ſcripſit
„ enim de ſenſu rerum libros quatuor,
„ quibus demonſtrare laborat mun-
„ dum omneſque illius partes, par-
„ tiumque particulas ſenſu donatas eſſe,
„ alias clariori alias obſcuriori, quan-
„ tum ſufficit ipſarum conſervationi ac
„ totius. In hac ſententia ſua tum ra-
„ tionibus tum exemplis aſtruenda
„ mire ingenioſus eſt & operoſus,
„ quæ tamen ſi excuſſeris, parum ſo-
„ lidi pluſque fuci & ornatus quam
„ veri ſenſus habent. *Et poſt plura*:
„ Verum non ignorantiæ tantum ſed
„ & omnium anilium ſuperſtitionum,
„ & præſtigiarum magicarum vela-
„ mentum eſt, cui fini ſcripti potiſſi-
„ mum libri illi videntur, quorum
„ extremus de magia eſt, multa con-
„ tinens cenſurâ ſeveriore digna. Ni-
„ hil non eſt ſomniorum, divinatio-
„ num, præſtigiarum, faſcinationum,
„ incantationum, quod non iſta hy-
„ potheſi velut orci aliqua galea de-

ſen-

„ ſendatur. " &c. plura, quæ refert citatus Erneſtus Salomon Cyprianus.

Ut ut ſit de iſtis cenſuris, quas acriores judico, certe contra mentem auctoris viri Catholiciſſimi, negari nequit argumenta quibus utitur, levia omnino eſſe, ut cum contendit lib. 3. cap. 10, vere extare ſenſum in aëre, ita ut præſciat futura, hominibusque communicet. *Quæ hiſtoriæ*, inquit, *narrant de bello Pharſalico percepto apud Abanum a quodam atrabilioſo: & voces quas Brutus audiebat, aliaque huiuſmodi, non ſunt fabulæ. Aſt ego cum mali quidpiam mihi imminet, inter ſomnum & vigiliam audire ſoleo vocem clare loquentem mihi, Campanella, Campanella, & interdum alia verba addentem, & ego attendo, nec intelligo quis ſit. At profecto ſi angelus non eſt, aut dæmon, ſicut Socrati aſſiſtebat, neceſſe eſt aërem ſic vociferari turbatum mea paſſione futura, aut affectum a præparante mihi malum, aut ex ſimili ſimilem alteram imaginantem.* Quis putet in aëre non ſolum eſſe ſenſum, ſed imaginationem, ſed affectus, ſed hominum curam & providentiam,

&

& futurorum præviſionem, ſed & loquelam?

Mirum ex eodem principio Campanellam & Carteſium, æquales, concluſiones contradictorie oppoſitas intuliſſe. *Nihil eſt in effectis quin prius ſit in cauſis, nihil in elementatis, quin prius in elementis; nemo enim dat quod non habet.* Hoc principium uterque aſtruit, ſed exinde aliter ratiocinantur. *Atqui*, inquit Campanella, *animalia ex elementis compoſita ſenſu fruuntur. Ergo & ipſa elementa.* Carteſius vero inverſo argumento: *Atqui elementa non ſentiunt. Ergo nec animalia, ſed mera ſunt automata, ſeu machinæ.* Inter utrumque forſan quis quoad animalia nonniſi quæſtionem nominis agnoſcat, ſed opinio prioris ad errorem hæreticorum videtur propius accedere quos arguit Hieronymus commentariorum in Matth. cap. 8, nempe *qui omnia ipſos etiam ventos, ipſa etiam maria, putant animantia.* Rectius videntur ſentire, qui viventia omnia verbo Dei initio mundi producta, per ſemina ex ipſis deciſa ſeſe continuo propagaſſe docent & propagare: ſed hæc ad philoſophos

phos potiſſimum Chriſtianos remittenda.

4. *Apologia pro Galileo, Mathematico Florentino, ubi diſquiritur utrum ratio philoſophandi, quam Galileus celebrat, faveat ſacris Scripturis, an adverſetur.* Typis commiſit fidelis ejus ἐργοδιώκτης, ſic enim a Naudæo vocatur, Tobias Adami, Francofurti, Eraſmi Kempffe-ri & Tambachii 1622 in 4 pp. 58. Extat Pariſiis in Reg. R. 760, Romæ in Barb. Oxoniæ in Bodley.

5. *Realis philoſophiæ epilogiſticæ partes quatuor, hoc eſt de rerum natura, hominum moribus, politica, cui civitas ſolis adjuncta eſt, & œconomica, cum adnotationibus phyſiologicis, a Tobia Adami nunc primum editæ. Quibus accedunt quæſtionum partes totidem ejuſdem Campanellæ contra omnes ſectas veteres novaſque, ad naturalem ac Chriſtianam philoſophiam hiſce libris contentam confirmandam*, Francofurti, Tampachii 1623 in 4 pp. 508. Quæ editio extat in Reg. R. 760, Oxoniæ in Bodley. Meminit auctor Syntagm. nn. 24, 28 & 36. Huic operi Tobias præter plura

in præfatione ad laudem auctoris, hoc addidit epigramma:

Adpenſa mundi tinniens in angulo,
Dormire forte dum placet mortalibus,
Multum ſonando ſuſcitat Campanula,
Quis, inquiunt, æs inquietum audadaciter,
Nobis moleſtum ſic ferat? quin tollimus?
Secreta paucis nunc ſonat Campanula,
Gravem miſella contrahens ærugi-nem.
Detergeat gravem Mea O! ærugi-nem
Sic perſonabit clarius Primæ ſacra
Mentis miniſtra purior Campanula.

6. *Atheiſmus triumphatus, ſeu contra Antichriſtianiſmum.* Prodiit primum Romæ, cum approbatione doctorum & licentia F. Nicolai Riccardi S. P. A. Magiſtri, typis hæred. Barthol. Zannetti 1631. in fol. pp. 182. Quæ editio extabat Pariſ. in Segujer. Romæ

in

in Barb. Oxoniæ in Bodley. Iterum hoc titulo: *Atheiſmus triumphatus, ſeu Reductio ad religionem per ſcientiarum veritates, contra antichriſtianiſmum Achitophelliſticum*, Pariſ. Tuſſani Dubray 1636 in 4 pp. 273. In hac poſteriori editione addita eſt, *Diſputatio contra murmurantes citra & ultra montes in bullas Sixti V. & Urbani VIII. adverſus judiciarios editas. Item contra ignoranter vel aſtute ad utilitatem hoſtium aſtruentes, non licere nobis poſt bullas ſcribere nedum pro, ſed nec contra divinaculos &c.*

Hoc opus anno MDCVIII. MS. dederat Caſpari Scioppio, ut ſupra notatum Syntag. n. 74, eumque codicem putant qui jam ſervatur Jenæ, cujus initio ſic legitur manu, inquiunt, vel Scioppii, vel Tobiæ Adami, ſed poſterioris potius crediderim, cum Scioppius catholicus fuerit. „ Imaginare tibi philoſophum recenter natum ex flumine, aſcendere in pratum quoddam pulcrum, ubi nundinæ omnium religionum aguntur, ex quibus unam & ipſe emere deberet, diſcurſibus igitur diligentiſſimis merces examinabit omnes, pro-

„ gredieturque ſciſcitans & licitans in
„ tanta diverſitate, ne decipiatur, pla-
„ niſſime uti Campanellam vides hic
„ ratiociniis diſputare: niſi quod hu-
„ manitus interdum & ipſi accidat,
„ ut regulas quas ſibi præſcripſit, aſ-
„ ſequi uſquequaque non poſſit, dum
„ opinantes a teſtimoniantibus ex ver-
„ bo Dei diſcernere non valet, ex con-
„ ſuetudine ſectæ, in qua natus &
„ educatus eſt, ideoque non raro &
„ monachum & papatus defenſorem
„ ob oculos tibi pones. Sic refert Er-
neſtus citatus: ſed in hoc judicio Lu-
theranum loquentem mox agnoſcit
lector Catholicus, illiuſque jactum in
Campanellam opprobrium, non par-
vam hujus eſſe laudem.

Nec æquiora ſunt aliorum proteſtan-
tium de hoc opere & de auctore judi-
cia. Hermannus Conringius *de Hiſpa-
nia* ſic habet: „ Scripſit etiam A-
„ theiſmum triumphatum, qui tamen
„ rectius eſt Atheiſmus triumphans,
„ idemque judicium de eo ferendum,
„ quod Barlæus de Amphitheatro
„ Vanini tulit. " Ipſe Erneſtus qui vi-
tam noſtri aggreſſus eſt, ſic de eo cen-
ſet:

ſet: „ Non caret ſuſpicione Atheiſmi,
„ Qui ſobrie & modeſte judicant, non
„ eunt inficias etiam in Pariſienſi edi-
„ tione, quam ſenex curavit anno
„ 1635, multa eſſe quæ prodant cau-
„ ſam Chriſti hoſtibus, cum multa
„ exhibeat atheorum argumenta nuſ-
„ quam in eorum ſcriptis obvia, eoque
„ ſive a Campanella excogitata, ſive
„ ab aliis in tenebris hauſta, indigna
„ ſane quæ in lucem publicam profe-
„ rantur, idque tanto magis, quo fri-
„ gidius non raro reſponſum eſt. " Verum hæc heterodoxorum ex odio Catholicæ Romanæque Eccleſiæ, cui noſter mirum, ipſis etiam teſtibus, affectus fuit, & cujus deſertores ubique impugnat & premit acrius, profecta judicia parvipendet lector eruditus & candidus.

Tantum abeſt ut atheis unquam faverit, ut a ſcribenda Epicuri philoſophia Gaſſendum aliquando deterruerit, ne hujus philoſophi dogmata pluribus exitio eſſent, religionemque peſſumdarent veritus, ut colligitur ex epiſtola quam ei Romam Gaſſendus ſcripſit Lugduno prid. Kal. nov. 1632, quæ

 habetur

habetur pag. 54: „ Ad commenta-
„ tiones vero Epicureas quod attinet,
„ inquit, ſubdubitare viſus es, ne quid
„ in religione peccem. Sed abſit a
„ me, ut excidat quidquam, quod
„ pugnare cum illa poſſit. Inculcas
„ providentiam, ego vero eamdem
„ adverſus Epicurum tueor. *&c. legenda*. Et ipſe Campanella ad eumdem ſcribens Roma 4 Julii 1632. de quatuor ſolibus Romæ obſervatis ſic loquitur: „ Verum quoniam judicium
„ completum a me requiris, reſpon-
„ deo, non mihi placere quod aſſeris,
„ hujuſmodi apparitiones caſu teme-
„ rario prorſus fieri, nullo jubente
„ auctore univerſitatis &c. " Ubi probat mundum ratione potentiſſima regi, nihilque in eo accidere novi, niſi adminiſtrante ſupremo numine. *Et infra*:
„ Sed furoris plenum arbitror eum
„ eſſe, qui exiſtimat ſe poſſe Deum
„ concipere meliorem aut ſapientio-
„ rem aut potentiorem illo, quem co-
„ gitare mens omnis auctorem rerum
„ cogitur inviſtiſſimis rationibus, &
„ illo qui naturæ præeſt ante nos &
„ ante cogitatus noſtros ab æterno
&c. "

„ &c. “ Sane ſi atheiſmum non ex intimis præcordiis exhorruiſſet, iſta non ſcripſiſſet, Gaſſendumque in ſua opinione reliquiſſet. Concludit tandem: *Vide, ſi quid non recte dixi in Triumphato Atheiſmo, ac corrige.* Certe ſi Gaſſendus quid in hoc opere Epicureis favens deprehendiſſet, auctori procul dubio objeciſſet, eique qui ſibi non pepercerat nec peperciſſet, quem tamen ex animo coluit ſemper, ac cui ſe probare in ſcriptis ſtuduit.

7. *De gentiliſmo non retinendo quæſtio unica. Utrum liceat novam poſt gentiles cudere philoſophiam. Utrum liceat Ariſtoteli contradicere. Utrum liceat jurare in verba magiſtri*, Pariſ. Tuſſ. Dubray 1635 in 4 pp. 63. Meminit in ſynt. n. 7. In hac opella iniquius Ariſtotelem tractari vix eſt qui non agnoſcat, nec rectius ab eo Platonem anteferri, quem fidei boniſque moribus longe magis adverſum jam cenſent eruditi. Legendus Merſennus Quæſtion. in Geneſim paſſim, ac præſertim Col. 365 & 397, ubi S. Thomam, quem præſtantiſſimum Ariſtotelis interpretem vocat, & Averroi, Alexandro,

Themiſtio, Simplicio, cæteriſque merito anteponendum, addit *tam docte tam ſolide tam acute & feliciter textum philoſophi interpretatum eſſe, ut jure dubitare poſſimus, an ipſe Ariſtoteles ſe ita bene explicaſſet.* Poſt talem igitur commentatorem nihil ab eo philoſopho timendum habebat Campanella, niſi auctor & ſcientiarum inſtaurator, Teleſii, Gaſſendi, Carteſiique æmulus audire voluiſſet.

8. *De prædeſtinatione, electione, reprobatione, & auxiliis divinæ gratiæ cento Thomiſticus, in quo pax reipublicæ cum Deo, & conſcientiarum cum utriſque per doctorem angelicum vindicatur. Nuntius ad Calvini & Lutheri aſſeclas, quod D. Thomas non erat cum eis*, Pariſ. Tuſſ. Dubray 1636 in 4 pp. 326. Adjecta eſt Appendix: ſcilicet *Expoſitio ſuper cap. IX. epiſtolæ Pauli apoſoli ad Romanos contra ſectarios. Ad petitionem Joan. de Galard Comitis de Braſſac, Chriſtianiſſimæ Majeſtatis in Romana curia oratoris contra ſectarios diſputantis*, a p. 337 ad 344. Meminit auctor Syntag. nn. 74 & 73. Hujus expoſitionis exemplum MS. ipſius forſan auctoris

toris autographum extat Pariſ. in Reg. n. 5683. Hæc editio vero extat apud noſtros Pariſienſes ad S. Honorati, ab auctore recognita & correcta.

In hoc opere Campanella doctrinæ SS. Auguſtini & Thomæ plane eſt deſertor: Origenem ejuſque ſequaces paſſim præfert Auguſtino ejuſque diſcipulis: S. Thomæ Summam minus auctoritatis habere contendit, quam priora opera: tractatum quemdam *de præſcientia & prædeſtinatione* in quibuſdam editionibus ad calcem I. P. Summæ, in aliis ad finem tertiæ partis impreſſum, ut ſancti doctoris fœtum acceptat: cum certo certius ſit, ejus non eſſe, ut cui nulli vindicent codd. MSS, nulli aſſerant antiqui ejus operum nomenclatores, nullibi exhibeat editio Romana ſub Pio V. accurata: ejuſdem S. D. diſcipulos irriſorie traducit, vocans Perthomiſtas & Pſeudothomiſtas: nec doctrinæ Molinæ & Suaris ac ſociorum magis favet, ſcientiamque mediam ut inutilem, iiſdemque incommodis ac decreta prædeterminantia ſubjacentem explodit. Theologorum eſt plura ejus dogmata, quæ

temeritate, ne quid dicam amplius, carere non videntur, examinare, ut cum docet, *hominem ex ſolis viribus liberi arbitrii ad gratiam ſe præparare, infantes ſine baptiſmo decedentes ſalvari in fide parentum*, & ſimilia. Quod vero docet hîc auxilia gratiæ ex ſe non eſſe efficacia, ſed ex conſenſu voluntatis, ſapientior factus in Metaphyſica retractavit, ut ibi dicemus.

9. *Aſtrologicorum libri ſex, in quibus Aſtrologia, omni ſuperſtitione Arabum & Iudæorum eliminata, Phyſiologice tractatur, ſecundum ſacras Scripturas, & doctrinam S. Thomæ & Alberti & ſummorum Theologorum: ita ut abſque ſuſpicione mala in Eccleſia Dei multa cum utilitate legi poſſint*, Lugduni, Jacobi, Andreæ & Matthæi Proſt. 1629 in 4 pp. 232. Opus hoc ſex libris ex ipſius auctoris mente circumſcripſerat typographus. Cum autem jam quieviſſet prælum, ecce ſeptimus liber allatus eſt ex Italia, quo non putavit lectorem eſſe fruſtrandum: ſcilicet de fato ſiderali vitando pp. 24. Prodierunt poſtea Francofurti, Tampachii 1630 in 4. Meminit in Synt. n. 34 & 63.

10. *Medicinalium juxta propria principia libri ſeptem. Opus non ſolum medicis ſed omnibus naturæ & privatæ valetudinis ſtudioſis utiliſſimum*, Lugduni, Joan. Pillehote, Joan. Caſſin & Franciſci Plaignard 1635 in 4 pp. 690. Jacobus Gaffarellus editionem curavit, & Odoardo Farneſio Parmenſium principi nuncupavit. Meminit auctor Synt. n. 32.

11. *Philoſophiæ rationalis partes quinque, videlicet Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Poëtica, Hiſtoriographia, juxta propria principia: ſuorum operum* T. I, Pariſiis, Joan. Dubray 1638 in 4 pp. 152, 491 & 258. Opus Franciſco comiti de Noailles, equiti torquato &c. & Carolo de Noailles, epiſcopo Sanflorenſi, fratribus, ab auctore nuncupatum. Meminit Synt. nn. 20. &c 42.

12. *Diſputationum in quatuor partes ſuæ philoſophiæ realis libri quatuor, pro republica Litteraria & Chriſtiana, id eſt, vere rationali ſtabilienda contra ſectarios: una cum textu inſtaurato auctoque poſt editionem Tobianam: ſuorum operum T. II*: Ad Franciæ Cancellarium Petrum

trum Segujer, Pariſiis, Dionyſii Houſſaye 1637 in fol. Hoc volumine hæc inſunt ex ordine:

I. *Diſputatio in prologum inſtauratarum ſcientiarum ad ſcholas Chriſtianas, præſertim Pariſienſes.*

II. *Phyſiologia epilogiſtica*, pp. 124.

III. *Quæſtiones phyſiologicæ, hoc eſt, in primam partem ſuæ philoſophiæ realis*, pp. 570.

IV. *Quæſtiones ſuper 2 parte philoſophiæ realis, quæ eſt Ethicorum* pp. 60.

V. *Ethica philoſophiæ realis P. II, epilogiſtica* pp. 70.

VI. *Q. Q. ſuper 3 par. ſuæ Philoſophiæ realis, quæ eſt de politicis, & ipſa Politica in aphoriſmos digeſta*, a p. 71 ad 144.

VII. *Civitas ſolis poëtica. Idea reipublicæ philoſophicæ*, a p. 146. ad 169.

VIII. *Q. Q. in 4 par. philoſophiæ realis, quæ eſt œconomicorum, & ipſa Oeconomica in aphoriſmos digeſta*, a p. 170 ad 211.

IX. *De regno Dei conſideratio*, a p. 212 ad 223.

Civitas ſolis ſeorſim prodiit Ultrajecti 1643 in 16. Horum meminit Syn-

Syntag. nn. 28, 36. De his vero ſic cenſet Hermannus Conringius *de civili prudentia* cap. 14. p. 300. „ Minus
„ huc pertinet Thomæ Campanellæ
„ Civitas Solis, laude quidem digna,
„ multum eſt tamen infra Utopiam.
„ *Et pag.* 358. Omnibus hiſce præ-
„ ſtant licet mole exigui, & in car-
„ cere, ſine omni librorum auxilio, a-
„ lienum ad calamum dictati politici
„ aphoriſmi Tho. Campanellæ, quos
„ Latine verſos partem tertiam philo-
„ ſophiæ realis inſcripſit Tobias Ada-
„ mi. Arguunt ſane capax atque ver-
„ ſutum auctoris ingenium, perinde
„ atque liber de monarchia Hiſpanica
„ prodit peritiam rerumpublicarum
„ præcipuarum hujus ævi, in dudum
„ captivo utique admirandam. Cæte-
„ rum hi aphoriſmi tangunt quidem
„ politicæ philoſophiæ perquam mul-
„ ta, plene nihil exequuntur, plura
„ etiam docent perperam, quam a
„ Grotio animadverſa ſunt.

Gabriel Naudæus Bibliogr. Polit. Gallice ſcripta: „ Amicus etiam no-
„ ſter Thomas Campanella juxta doc-
„ trinam ſuarum primalitatum Ethi-

„ cam

„ cam novam compoſuit, quæ ſub E-
„ pilogiſmi nomine cum philoſophia
„ ſua naturali & politica typis com-
„ miſſa fuit a Tobia Adamo, ſtylo
„ quidem non ita compto delineata, ut
„ Ciceronianis arridere poſſit, ſed ea
„ nobilitate cogitationum rationum-
„ que ſubtilitate, ut omnibus ſapien-
„ tiæ myſtis non poſſit eſſe non ſum-
„ mopere gratiſſima. „ Idem paulo
poſt: „ Secundus ab ipſo fuit Tho-
„ mas Campanella, ardentis penitus &
„ portentoſi vir ingenii, qui dum in
„ tenebris & pædore carceris vitam
„ traduceret, civitatem ſolis delinea-
„ vit, ea cogitationum novitate &
„ ſublimitate ſenſuum, ut præter phi-
„ loſophicas ſpeculationes, multa e-
„ tiam contineat, queis reſpublicæ
„ tutius adminiſtrari poſſent, & ho-
„ mines ipſi meliores evadere.

13. *Univerſalis philoſophiæ ſeu metaphyſicarum rerum, juxta propria dogmata partes tres, libri XVIII. duce Deo ſuorum operum T. IV*, Claudio de Bullion equiti torquato, ac ærarii Franciæ ſummo præfecto nuncupatus, Pariſ. 1638 in fol. pp. 382, 296, & 274. Meminit Synt. nn. 38 & 61. In

In hoc opere P. II. lib. IX Cap. XIII. Art. I. p. 229. retractat, quod in tractatu de prædeſtin. &c. & auxiliis divinæ gratiæ ubique docuerat, ſcilicet, gratiam eſſe unicam generalem omnibus indifferenter datam, verſatilem & a libera arbitrio reddi efficacem: ſic enim loquitur: „ Catholici „ in confeſſione providentiæ & libertatis perſeverantes, credunt Deum „ ex auxilio gratiæ alios libere ſalvare, alios vero ex juſtitia libere „ damnare, qui gratia generali abutuntur, licet ſpeciali careant efficacique, in qua eſt ſalus certa: generale auxilium Dei non cogere, ſpeciale tamen non cogendo neceſſitare, & in hoc variæ ſunt opiniones „ doctorum. Auguſtinus enim & ſequaces, ſcilicet Anſelmus, Proſper, ut Thomiſtæ aliqui interpretantur, putant ad omnia naturalia „ eſſe prædeſtinationem decreto invicto, & ſimiliter ad ſupernaturalia „ ante prævisionem meritorum & demeritorum, nec eſſe cauſam ullam „ prædeſtinationis ad vitam, quam „ felicem ſperamus poſt hujus mundi

„ perio-

„ periodum, nec occaſionem, nec
„ conditionem ſine qua non, ſed ſo-
„ lam Dei voluntatem: ſimiliter &
„ reprobationis, nam quia non eli-
„ guntur, ſed reprobantur, peccant &
„ non liberantur, quia non datur eis
„ efficax gratia. Origenes vero & ſe-
„ quaces, ut Chryſoſtomus, Theophy-
„ lactus, Athanaſius, Baſilius, Cy-
„ rillus, Caſſianus, Juſtinus & tota
„ fere antiquitas, videntur opinari ex
„ præviſo bono uſu liberi Arbitrii, &
„ abuſu donorum Dei prædeſtinari ho-
„ mines aut reprobari.

Quibus verbis ut non accurate diſcipulorum S. Auguſtini ſententiam explicat de reprobatione, non enim quia non eliguntur reprobi, vel quia non datur eis efficax gratia, peccant, ſed quia libere peccare volunt: Sic perperam Chryſoſtomum, Athanaſium, Baſilium, Cyrillum &c. inter Origenis & Caſſiani, Pelagianorum & Semipelagianorum parentum, ſequaces & ſodales annumerat. Sed ſuam ſententiam continenter ſubjicit: „ Nos autem in
„ Dialogo contra Lutheranos cum ſa-
„ pientioribus ſentientes, ex gratia Dei
„ aliquos

„ aliquos ſalvari, quoniam ſalvare per-
„ tinet ad eſſe, & ideo a Deo ut patre
„ omnes voluntate, prævisionem me-
„ ritorum antecedente, eſſe prædeſti-
„ natos, tam ad ſummum bonum na-
„ turale, qui eſt Deus naturaliter adi-
„ piſcendus, quam ad ſupernatura-
„ lem beatitudinem in Deo; propte-
„ reaque omnes creat ad imaginem &
„ ſimilitudinem ſuam & ad ſe, neque
„ odiens fecit aliquos Deus, ſed om-
„ nes ex amoris exuberantia: ſicut
„ nullus pater facit filios propter fur-
„ cam, ut Salomon & David docuere:
„ at voluntate conſequenti eos tantum
„ reprobari a Deo ut judice, non quos
„ peccaturos, ſed quos obſtinatos ſcit
„ morituros in peccatis: ergo ex præ-
„ viſis damnari, quoniam damnatio
„ ad non eſſe pertinet. Nam Deus
„ vult omnes ſalvos fieri, ut docet
„ Paulus Apoſtolus, & neminem pe-
„ rire, ut Petrus, & illuminat omnes
„ homines, ait Joannes: ſed quos præ-
„ videt abuti donis ſalutaribus uſque
„ in finem obſtinatos, ſequenti ad præ-
„ viſam obſtinationem voluntate re-
„ probat: & propterea uſque in finem

„ præmoveri ad bonum auxilio gene-
„ rali omnes, quod ex noſtro bono
„ uſu efficax ſit, liberi enim ſumus.

Hæc igitur ejus olim erat opinio gratiam generalem eamdem omnibus dari, quæ ex libero arbitrio penderet ut eſſet efficax, vel caſſa: at tum mutata ſententia ſic cenſebat:

Qua in re cum multa meditarer & S. Brigidæ revelationes legerem in lib. S. quæſt. ſuſpendi ſententiam, & divinam expecto illuſtrationem. Illud autem inconcuſſe ſuſtineo, eſſe in nobis libertatem ad volendum & nolendum, & auxilium ut entitas addita eſt, non fieri a nobis efficax, nullam enim entitatem nos dare poſſumus, niſi a primo ente & cum primo; ergo fieri efficax a Deo effective, a nobis vero meritorie tantum, ex virtute tamen prioris gratiæ, quam non reſpuimus, ſed cooperamur, acti ab ea ſicut liberi a patre, non ſicut ſervi a Domino &c. ubi & retractat quod alias docuerat, hominem ex ſolis liberi arbitrii viribus ſe præparare ad gratiam, eamque demereri.

14. *De monarchia Hiſpanica diſcurſus*, cum *Appendice*, *Utrum ſit optandum*

dum univerſum orbem Chriſtianum ab uno ſolo capite & monarcha regi & gubernari. Opus jam tertio recuſum, Amſterodami, Elzevirii 1640 in 24 pp. 379: Rurſus ibidem 1653 in 12. Idem diſcurſus *Germanice* tranſlatus, & parte altera ab alio auctus prodiit, abſque loco & typographo 1623 in 4. Quæ editio extat Pariſ. in Reg. O. 437. Eſt etiam ibidem *Italice* MS. n. 10234 hoc titulo: *Diſcorſe della monarchia di Spagna di Frà. Tommaſo Campanella.* Laudatur a Tomaſino in BB. Venetis inter codd. MSS. Frederici Ceruti Veronen. Item in catalogo codd. MSS. Angliæ T. II. P. I. n. 1509: *Diſcorſi ſopra la monarchia di Spagna di Tommaſo Campanella*, & n. 5385 vol. CXLVII: *Compendio della monarchia di Spagna fatto da Frà Tommaſo Campanella.* Prodiit etiam typis *Anglice*, Londini 1654 in 4, recenſitus in Bodley.

De hac opella judicium æquum tulit Hermannus Conringius ſupra n. 12 relatus, *qui tamen*, ubi de Hiſpania, ſic loquitur: „ Campanella iſte homo fuit „ callidus ſine ulla religione & fide, „ Machiavelli dogmatum acerrimus

 „ pa-

„ pariter reprehenſor & fucatus doc-
„ tor: a cap. 14 uſque ad 31 ejus mo-
„ narchia Hiſpanica lectorem curio-
„ ſum meretur. Scripſit hoc opus de-
„ cennali miſeria in pædore carceris
„ & ægrotus, nullos in ſubſidium ha-
„ buit libros, imo ſacra biblia ipſi
„ ademta ſunt, ut ipſi ignoſcendum
„ ſit, ſicubi quædam delirans dixit.
„ Monachus iſte vir ſtupendi & por-
„ tentoſi ingenii in libro ſuo de Mo-
„ narchia Hiſpanica docet, quomodo
„ rex Hiſpaniæ potiri poſſet toto ter-
„ rarum orbe. Varia ille ſuggerit con-
„ ſilia, nec probat regimen rigidum
„ Hiſpaniæ, & aſſerit facile fieri poſ-
„ ſe, ut aliquando totum amittat re-
„ gnum hoc duriſſimo regimine. Alii Proteſtantes, ſeu catholicæ religionis, ſeu Hiſpani dominii odio, tum hanc tum ſuperiora opera paſſim male omnino excipiunt.

Erneſtus ejus vitæ cap 5. p. 58: *De monarchia Hiſpanica quæ ſcripſit, ſatis oſtendunt ingenium ad omnem fraudem compoſitum quod & aliis notatum video.* Nimirum momordit hominem, quod cap. 16. dixerit Campanella, *Hæreticos*

&

& Lutherum confeſtim poſt comitia Auguſtæ habita ſub alio prætextu technis opprimere ſatius fuiſſe. Similia habet capp. 18 & 27. Si attendiſſet Erneſtus principem Auraſiacum Guilielmum, regem Sueciæ Carolum IX, regem Angliæ Henricum VIII, alioſque in Germania principes, ut ſuas dominationes ſtabilirent, antiquam religionem evertiſſe, non adeo Campanellam culpaſſet, qui non niſi ad tuendam catholicam Romanamque Eccleſiam, ac pietatem in ſubditis magis ac magis augendam, ſuum regem excitat ac urget. Idem eſto reſponſum ſectariis aliis, qui non æquius habent.

Sic Gisbertus Voetius ab ipſo citatus Diſput. ſelect. P. I. pag. 202: „ Iſtis & ſimilibus ſexcentis, quæ in „ Atheiſmo triumphato, Metaphyſica, „ libris de ſenſu rerum, aliiſque operi- „ bus venditat Campanella, putamus „ libertinis cauſam tradi, & ſcepticis „ atque atheis religionem deridendam „ proſtitui, imo homines ſuperbos & „ curioſos in ſcepticiſmos & atheiſ- „ mos hac occaſione nonnunquam in- „ cidere, quamvis Campanella volens „ & ſciens nihil tale intendiſſet. An

 „ ce-

„ cerebri infirmitati, & intervallis
„ maniacis, aut deliriis melancholicis:
„ an vero omnia innovandi & everten-
„ di prurigini, & quidem ſub præ-
„ textu zeli & pugnæ adverſus Epi-
„ cureos, atheos, hæreticos, hæc tri-
„ buenda ſint, nos non dicemus, qui
„ viri illius vitam & ſtudia propius
„ intueri non poſſumus. Alterutrum
„ ſaltem in eo animadvertere viſi ſunt
„ ſocii ejus, qui illum XXX. annis
„ in Italia captivum & incluſum de-
„ tinuerunt, ut conqueritur, in præ-
„ fat. ad qq. phyſiol. " Quis fuerit
Voetius docet Sorberius Epiſtol. cu-
rioſ. edit. Pariſ. 1660 in 4, ubi pag.
687. eum vocat *hominem moroſum*, *Eſ-
prit bourru.*

Idem Sorberius p. 54 de noſtro ſic
judicat: „ Etſi nihil mihi carius ſit
„ tempore, cujus jacturam ſemper æ-
„ gre tuli, oleum & operam perdi-
„ diſſe me fateor, in legendo ineptiſſi-
„ mo libro monachi ineptiſſimi & in-
„ doctiſſimi Thomæ Campanellæ, cui
„ titulum fecit Atheiſmus triumpha-
„ tus. Farrago eſt ineptiarum, ordo
„ nullus, tenebræ multæ, barbaries
„ per-

„ perpetua. Neſcio enim, an a Cice-
„ rone intelligeretur, cum verba fa-
„ cit de actibus peccaminoſis, de
„ bombardis & archibugiis, de cami-
„ ſa ſordida. Hoc unum in libro per-
„ legendo didici, ne ullum alium ejus
„ auctoris unquam legerem, ſi tem-
„ pori parcere vellem. “ Scilicet Sorberius, vir Latine & Gallice elegantiſſimus, craſſam & rudem orationem impatienter ferebat. Idem in Sorberianis: „ Mihi viſus eſt Campanella
„ Cardani ſimia, vir multæ in ſcho-
„ laſticis lecturæ & ejus farinæ libris,
„ qui omnium rationem indagare cu-
„ piens, futilia quam plurima pro ve-
„ ris & ſolidis lectoribus obtrudit,
„ aut ab aliis deſumta ſibi vindicat.
„ Idem epiſtolarum pag. ſupra cit.
„ 687, Campanellam, Teleſium, Van-
„ helmondum inter eos numerat, qui
„ dogmata antiqua philoſophorum fe-
„ licius everterint, quam propria ſta-
„ bilierint.

Hugo Grotius epiſt. 87 ad Gerard. Joan. Voſſium: „ Legi & Campanel-
„ læ ſomnia.

Johann. Henricus Bœclerus in Ta-

citi annales lib. 3. 57: „ Larvis ille
„ Thomas Campanella, novæ religio-
„ nis ut jactitat repertor, revera au-
„ tem (ad Callicratis inſtar apud
„ Corn. Nepotem in Dion. 8. 1.)
„ homo callidus & ad fraudem acu-
„ cutus, ſine ulla religione ac fide, pu-
„ blicis judiciis voluit imponere. Cum
„ enim vidiſſet Macchiavellum, ob va-
„ fra & improba ejuſmodi conſilia, a-
„ pud pleroſque vapulare, ipſe velut
„ mangonio quodam adornata, quæ
„ Macchiavellus nuda protulerat, ita
„ denuo in theatrum induxit, ut &
„ reprehenderet Macchiavellum, &
„ Macchiavelli tamen placita ſedulo
„ ſub diverſis nominibus teneret. At
non novæ religionis, ſed novæ philo-
ſophiæ repertorem tantum ſe jactitavit
Campanella.

Callidius carpit & malignius in ſpeciem laudans Joannes Deckherrus de Scriptis adeſpotis edit. Amſtelod. 1686 p. 122, ubi loquitur de libro *de tribus impoſtoribus*, quem vel Ochino vel potius Rabelæſio aſſerit: „ Id teſtamur,
„ *inquit*, Thomam Campanellam ex
„ Italia profugum execrandi illius
„ mon-

„ monſtri deliria in Atheiſmo trium-
„ phato Pariſiis edito, ita diligenter,
„ ita accurate, ita ambitioſe ad or-
„ cum relegaſſe & conviciſſe eloquen-
„ tia & vi intellectus humani, ut vic-
„ toriam ſincere at ſubtriſtes ipſi gra-
„ tulentur illi, quibus datum eſt hæc
„ profundius diſcernere. Namque ig-
„ noraſſet forſitan illius carcinomatis
„ humanum genus tam librum quam
„ infandas ratiocinationes, niſi ipſe
„ refutando protuliſſet: & neſciviſſet
„ atrocitates ſcelerum humana nequi-
„ tia, ſi non Juvenalis eas per ſatyras
„ exagitando caſtitati innocentium re-
„ velaſſet. " Sic utrumque Merſen-
num ord. Minim. adverſus atheos
pugnantes & alios ſcriptores facile ri-
deas.

Idem Deckerrus ibid. p. 322: „ ſub-
„ nectam ſeria, vel lectoris delectationi
„ ſervitura, vel modico temporis diſ-
„ pendio luenda, de tribus maximis
„ hujus ſeculi philoſophis, quos inter
„ maximus Thomas Campanella, ex
„ Dominicanorum familia, cujus ex-
„ tant metaphyſica, ex ſe ſolis, (nam
„ noviter quædam principia, nec alibi

„ obvia, diſciplinæ ſubjecerat) inter-
„ pretationem habitura: Atheiſmus
„ triumphatus, de quo ſuperius dic-
„ tum, philoſophatur magna ſeveri-
„ tate, ſed ſua metaphyſica methodo,
„ proinde moleſta. Docet, obteſtatur,
„ blanditur, ut res tulit & tractatio-
„ nis ordo; dum ſæpius magis ſuaſo-
„ riis, quam fortibus & heroicis argu-
„ mentis armatus in prælium (magis
„ luctam dixeris) deſcendit: in arduis
„ ceſpitat, hoſtem armis ferme exu-
„ tum jam dimittit, aut negligit, ſæ-
„ pius cui periculo ſuſtinendo, præju-
„ dicio orbis Chriſtiani, ſe commiſe-
„ rit, objurgandus & in aciem per
„ Campanam reducendus: multa per
„ jocos jlocalariter propoſita: impo-
„ ſturæ gentilium ad ſacerdotes Chriſ-
„ tianos ſcandaloſe tranſlatæ, & com-
„ parationes principum cujuſque reli-
„ gionis ridiculæ: omnia altiſſimo ſi-
„ lentio premenda, vel magis auſtera
„ ratione convincenda damnanda fuiſ-
„ ſent. Vapulant equidem ad cruores
„ uſque Achitophel & Machiavellus,
„ neſcio an parem ob culpam mulc-
„ tati: neſcio an magis infami, nec
„ obli-

„ oblivioni unquam tradendâ pœnâ, „ quam qua Neapolitani in ipſum, ob „ tentatam Crotonis deditionem Tur- „ cis, evocatum Zigalem Baſſam in „ Italiam, inducendis novæ religioni „ & ritibus comparatum ad montana „ exercitum, ſed ſola ſpe; & quæ „ alia ipſi a Cæſare Branchedaurio De „ mutat. Imp. Rom. & ortu Pontif. „ objecta, animadvertere conſtituerant, „ affecti, perpetuis illi carceribus im- „ menſas viri cogitationes concluſiſſe „ contenti &c. Ut manifeſte a Branchedaurio falſus Deckherrus in criminibus Campanellæ narrandis, quorum ſi minima pars adverſus eum probata fuiſſet, non carcere ſolum, ſed ignominioſiſſima morte haud dubie vindicaſſent Hiſpani, qui tandem innocentem declararunt, ſic nec in aliis illi ulla fides.

Ipſe Cæſar Branchedaurius Orat. præmonitor. edita Francofurti 1609. ſic habet: „ In hoc homine (Campanella) quid ingenium humanum poſ- „ ſit, videtur naturæ dæmon experiri „ voluiſſe, ita omnes ignei & ſubli- „ miſſimi animi vires in eo ſcintillant

„ &

„ & excellunt maxime. “ Sed quem ſic extollit, in ſequentibus ut inferorum principis diſcipulum incuſat, a quibus abſtineo, cum à ſe ipſis cadant.

Theophilus Raynaudus S. I. in ſua Cyriacorum cenſura Diatr. 4 p. 90 ſic habet: „ Exiſtimo quod Cyriæi æque
„ ejurabunt F. Thomam Campanel-
„ lam, quia tametſi viſus ſit per ali-
„ quod tempus cymbalum mundi, ta-
„ men revera eſt ignorantiſſimus, ita
„ ut ne ipſos quidem terminos ſive phi-
„ loſophicos ſive theologicos intelli-
„ gat, ſententias autem invehit non
„ modo a S. Thoma, ſed etiam a ſen-
„ ſu cujuſuis ſani hominis adeo abhor-
„ rentes, ut deſipere potius videatur,
„ quam diſſerere. Hæreſes craſſæ in
„ ejus libris tam multæ & tam inex-
„ cuſabiles occurrunt, ut mirum ſit
„ adeo pinguem ſcriptorem ſuperiori-
„ bus annis invenire potuiſſe laudato-
„ res. Etiam poëſim attigit, ſed adeo
„ infeliciter, ut tirones in prima, gram-
„ matices proſodiam ligula dimetien-
„ tes, non cantillent puerilius. Verum
„ ſcriptorem adeo ſtrumoſum, quem
„ non dubito a ſuis Cyriacis ejuran-
„ dum

„ dum tanquam ſegregem, ne omnia „ ejus opera cogar exſcribere, malo „ prorſus præteritum." Quod Raynaudi judicium ideo referendum fuit, ut quam perperam a ſociis Campanella ſcholæ Thomiſticæ deſertor, nec Moliniſticæ magis favens nobis objiciatur, omnes videant. Quas tamen Raynaudus vocat hæreſes, Joannes de Lugo, poſtea Cardinalis, ab omni ſuſpicione liberas cenſet; ſupra etiam monuimus, Campanellam priorem de efficacia gratiæ, a nutu libertatis pendente, opinionem retractaſſe & ad ſenſum Thomiſticum tandem rediiſſe.

Quem hactenus citati plures tam male excipiunt, impenſius laudant alii: Jacobus Gaffarellus, vir eruditiſſimus, in præfatione ad Medicinalia Campanellæ, quæ ille edenda curavit, & alibi paſſim legendus: Gabriel Naudæus, perpetuus noſtri admirator, etiam poſt mortem adverſus cujuſdam in Gymnaſio Franciæ regio philoſophiæ profeſſoris libellum, Pariſiis anno 1644. editum, vindicavit, typis ibidem commiſſo apud Cramoſianos eodem anno 1644, quem anno 1632 coram Ur-

Urbano VIII. ob beneficia ab ipſo in Campanellam præſtita pronunciaverat panegyrico, in quo ſic ad lectorem præfatur: „F. Thomam Campanellam „ non exculti virum ingenii, ſed mi- „ rabili ſcientiarum omnium & artium „ cognitione, earumdemque ſecun- „ dum nova ſua principia inſtauratio- „ ne ſupra omnes ætatis noſtræ viros „ in litteris principes conſpicuum, „ nemo fuit huc uſque rerum acade- „ micarum non ignarus, qui merita „ prædicatione non extulerit. Recenſet poſtea quanta apud SS. PP. Clementem VIII, Paulum V, Urbanum VIII, Criſtianiſſimum regem Ludovicum XIII, ejuſque primores miniſtros æſtimatione fuerit, & tandem miratur „ repertum nuper hominem fuiſſe, „ qui in tanta rerum iſtarum ignora- „ tione conſenuerit, ut judicium de „ Campanella ferat non malignum „ modo, ſed falſum, putidum, inep- „ tum, & homine qui prorſus non „ deſipiat indignum. &c. *legenda.*

Iſaacus Bullart Academiâ ſcientiarum & artium, Gallice ſcripta T. II. p. 125, ejus elogium habet, & inter il-

illuſtres ſuæ ætatis philoſophos, mathematicos, aſtrologos, medicos, recenſet. Cæteros omitto, ut graviſſimum Vincentii noſtri Baronii, qui vivum Campanellam Pariſiis ſæpius vidit & familiariter converſatus eſt judicium proferam Libr. Apologet. T. I. lib. 2. ſect. I. art. 2. §. 1. „ Campanellam
„ mire vexat Petrus *a Valleclauſa*, (ſeu
„ Theophilus Raynaudus ſupra cita-
„ tus.) Plures illius lapſus non diffite-
„ mur, ſed cum e doctiſſimis hujus
„ ſeculi ſit habitus, & forte famâ fue-
„ rit ſupra merita, non exiſtimo ta-
„ men omni laude carere, quia major
„ fuit impetu ingenii, quod in con-
„ verſationibus eminebat, & in libris
„ obſcurum eſt ac pene extinctum,
„ ut doctiſſimorum virorum judicia
„ rapuiſſe magis viſus ſit, quam me-
„ ruiſſe. Et certe loco miraculi pluri-
„ mis fuit carcer per octodecim (*di-
„ cendum erat* XXVII) annos ab ipſo
„ inſonte magna conſtantia toleratus,
„ & quod toto illo tempore ſine ullo
„ librorum ſubſidio, charta etiam
„ deſtitutus, (*ſaltem aliquandiu*) tot
„ ſcripſerit, & omnes artes per ſe di-

„ dicerit,

„ dicerit, quod ex inimicorum manibus
„ evaſerit, & appellatione ad Sedem
„ apoſtolicam ad libertatem ſibi viam
„ Aperuerit. Hæc obiter de Campa-
„ nella, non ut illum omnino defen-
„ dam, ſed a contemtu vindicem, &
„ a vituperio, in gratiam graviſſi-
„ morum virorum ac etiam ſummo-
„ rum principum, qui magni ipſum
„ fecerunt. Certum eſt, Campanellam
„ plus valuiſſe impetu quam judicio,
„ & diſceptatione extemporanea quam
„ ſcripto, & nullum forte illi inge-
„ nio, aut omnium ſcientiarum com-
„ plexione parem: & ſi alterius ordi-
„ nis a noſtro, qui uni D. Thomæ
„ addictus eſt, togam induiſſet, for-
„ te ut quoddam ſcientiarum lumen
„ fuiſſet habitus, quia nihil eſt, potiſſi-
„ mum e ſcientiis aſtrologiæ, medici-
„ næ, & aliis, quod ſuo Marte non
„ attigerit. Unde Cardinalis Pallavici-
„ nus in ſuo libro inſcripto, *Vindica-*
„ *cationes Societ. Jeſu* cap. 27. ait:
„ Thomas Campanella Dominicanus,
„ vir qui omnia legerat, omnia me-
„ minerat, prævalidi ingenii, ſed
„ indomabilis. Hunc ergo virum quem
„ Car-

„ Cardinalis Palavicinus adeo com-
„ mendat, Theophilus dicere audet
„ ignorantiſſimum.

Non omittendum, in Indice Romano prohiberi *Thomæ Campanellæ opera quæ Romæ excuſa aut approbata non ſunt, cum auctor pro ſuis illa non agnoverit.* In actis vero Facultatis Pariſienſis ſecunda Maii MDCXXXV. ſic legitur: *F. Campanella acceſſit ad comitia facultatis, obtinuitque, ut quos voluerit eligat cenſores ſuorum operum.* Sed ſecunda Maii MDCXXXVI. Facultas cenſuit *primo improbandas eas approbationes, quæ inſcriptæ ſunt in libris F. Thomæ Campanellæ Dominicani, nec ferendum in poſterum, ut approbatores libri alicujus omnes ſumantur ex eodem ordine, cujus auctor libri eſſe dignoſcitur.*

15. *Ecloga in portentoſam nativitatem Delphini Galliæ,* Pariſ. 1639 in 4. Extat MS. apud noſtros Pariſienſes ad S. Honorati ex dono auctoris. Titulus: *Horoſcopus ſereniſſimi principis Delphini.* Carmen eſt 249. verſibus conſtans. Commentariola locorum difficiliorum inſeruit ad marginem Philippus Burelli, auctoris nepos & amanuenſis. *Mul-*

ta, inquit Erneſtus citatus, *habet admirabilia, quæ tempus declaravit hactenus, cum ſcriberentur nequaquam omnibus intellecta.* F. Joannes Caſalas, tum Conventus dicti Prædicatorum ad S. Honorati Supprior, teſtis oculatus, ſic refert *Candoris Lilii* p. 273: „ Geniale poëma ſub nomine Horoſcopi, „ quo quæ nunc feliciter experimur „ prædicti Delphini miracula velut „ præſaga mente edixerat, Regius „ parens legendum dedit quibuſdam „ viris rei litterariæ operam navantibus, queis non placent niſi domeſtica. Revoluto die, dum opuſculum „ redditur principi, interrogati, num „ aliquid illime occurreret, reſpondêre, „ in ipſo operis veſtigio lapſum ſe advertiſſe non mediocrem, dum poëta „ Delphinum alloquens ſic exorſus „ fuerat ſecundum verſum (leg. 25.) „ Portentoſe puer, innuentes hac cenſura, portenti vocabulum non niſi „ malo omine obſignari. Rex auctoris eruditionem eximiam affectumque erga ſe ſingularem multiplici „ experimento probatum conteſtatus, „ pro ipſo peroravit, nec inconſulto hac

„ hac voce uſum. Totius rei narratio-
„ nem e caſtello S. Germani, ubi
„ curia agebat, miſit Pariſios ad Cam-
„ panellam, qui præſens adfuerat D.
„ de Chaumont, Bibliothecæ regiæ
„ præfectus. Ille ſtatim Horoſcopi &
„ poëſeos ſuæ apologiam me præſente
„ aggreditur, eadem nocte abſolvit,
„ probanſque ex Varrone, Virgilio
„ ſimilibuſque rei Latinæ primariis
„ antiſtitibus, portentum frequentius
„ in bonam & optimam partem, quam
„ in malam accipi, tranſmittit ad
„ eumdem Bibliothecarium, ut offer-
„ ret æquiſſimo principi, qui Ariſtar-
„ chos imperitiæ & livoris convictos
„ delata apologia confuſos reddidit &
„ elingues.

16. *De libris propriis & recta ratione ſtudendi Syntagma*, Pariſ. Vid. Guillelmi Pelé 1642 in 8 pp. 88. Naudæus editionem curavit, teſtatus, libellum ſibi ab auctore horis ſucciſivis dictatum. Prodiit iterum curante Hugone Grotio, Amſtelodami. Elzevirii 1645 in 12.

INDEX IV. OPERUM quæ

typis non prodierunt ſed MS in variis Bibiiothecis aſſervantur.

Eruditus Antonius *Maggliabecchi* Bibliothecæ Mediceæ Florentiæ præfectus ſequentia habebat, teſtibus Leonardo Nicodemo in *Addizioni copioſe alla Bibl. Napol. del Toppio*, & Erneſto Salom. Cypriano cit. ad quos ille hunc catalogum miſit:

1. *Epilogo di quello che della natura delle coſe ha filoſofato e diſputato Frà Tommaſo Campanella, ſervo di Dio. Proemio: Poiche teco menar la vita non poſſo ſignore.* Meminit Syntag. n. 24.

2. *Della credenza, diſcredenza, opinione &c.* Pr. *Non baſtava a ſapere il ſenſo e la memoria, perche tutto non ſi puo ſentire, ma &c.* ſed utrum hic tractatus ſit Campanellæ, quamvis eodem volumine ligatus, dubitabat, quia ei non præfigitur ejus nomen.

3. *Magia del Campanella.* Pr. *Della magia in commune e ſua divinazione Diſcorſò primo. Magi ſi appellarono gli antichi ſavi dell' oriente, in particolare i Perſiani che inveſtigavano le coſe occulte &c.* Hujus operis meminit Velſchius in opere cui titulus, *Curationum exote-*

exotericarum chiliades duæ, pag. 482. Quæ autem ex Campanella citat Velſchius habentur *Diſcorſo* 17: *Le parole aver qualche forza e le cerimonie nell' aſſente, ma ſpeſſo intrometterſi i demonii per ingegno ed inganno &c.* Vide Syntag. n. 33.

4. *Della monarchia.* Pr. *Camminando da levante a ponente la monarchia univerſale &c.*

5. *F. Thomæ Campanellæ ad Seraphinum* (Nucerinum) *reſponſio de peſte Colonienſi.* Princ. *Epiſtolis tuis &c.* Idem forte de quo Syntag. n. 51.

Eodem vol ſequitur, *La pratica dell' eſtaſi filoſofica:* ſed an Campanellæ dubium, quia nomen ejus non præfigitur.

6. *Epiſtola ſociorum & parentum F. Th. Campan. Jacobo Aldobrandino nuntio Apoſtolico.* Pr. *Illuſtriſſimo e reverendiſſimo ſignore. Noi amici e parenti e diſcepoli di F. Tommaſo Campanella ſacerdote della religione di S. Domenico carcerato in S. Ermo &c.*

7. *Concetti metodici e ammaeſtramenti politici di F. Tom. Campanella* Pr. *Neſſuno domina a ſe ſolo &c.*

8. *Diſcorſi a' principi d'Italia, che per ben loro e del Chriſtianeſimo non debbono contradire alla monarchia di Spagna, mà favorirla: e come dal ſoſpetto di quella ſi poſſono guardare nel papato, e per quella contro i infideli con modi veri e mirabili, fatti per Fra Tom. Campanella Domenicano. Diſcorſo primo. Gl' Iſtorici e poëti tutti d'Italia e molti altri ſtranieri piangono l'imperio Romano &c.* Recenſetur etiam in catalogo codd. MSS. Angliæ T. II, P. I. n. 5385, vol. CXLVII: totidem vocibus & dicitur haberi fol. 425. voluminis.

Magliabecchius teſtatur, eodem quo ſuperiora codice MS. adjici indicem quorumdam Campanellæ operum. Ea ſolum indico, quæ typis non edita:

1, *Dialogo politico contro i Luterani, Calviniſti ed altri eritici, accioche poſſa convincergli ogni mediocre ingegno alla prima diſputa: perche il modo uſato da loro è d'allungar la lite, il che è ſpecie di vittoria a chi mantiene il torto. Queſto dialogo tiene l'archiduca Maſſimiliano. Eumdem cenſeo qui* Par. in Reg. n. 7718 hoc titulo, *Diſcorſo contro i Lutterani e Calviniſti di Tom. Campan.* Meminit Syntag. n. 21.

2. *Ri-*

2. *Riconoſcimento filoſofico della religion catolica contra l'Antichriſtianeſimo Macchiavelleſco, nel quale ſi moſtra, che i politici e Macchiavelliſti ſon la peſte di queſto ſecolo, e impedimento della monarchia Chriſtiana: e che quanti ſeguiro la ragion di ſtato, rovinaronſe ò i poſteri. Queſto ſtà in mano di Gaſparo Scioppio.*

3. *Un libro per lo quale ſi poſſa da ogni mediocre perſona convertire i gentili dell' Indie orientali ed occidentali alla fede catolica con i principii di ciaſcuna ſetta loro e con la ragione commune, poiche non credono alle autorità, e con prove mirabili ancora non penſate, attiſſime a ſcompigliare i regni loro e tirargli a ſe, con maraviglia che per prova e giudicio d'ogni ſavio non potranno riſpondere.* Meminit Syntag. n. 21.

4. *Del governo eccleſiaſtico ſecreto al papa per far una gregge e un paſtore con le forze ſole della Chieſa, benche ogn' uno ripugnaſſe. Il ſommario di queſto libro tiene ſua ſantità* (Urbanus VIII.) *ma il libro iſteſſo che è gran volume ſta in Stilo, città in Calabria.* Meminit Syntag. n. 18.

5. La monarchia del Meſſia e delle ragioni del dominio eccleſiaſtico, capo di tutti i principi membra ſue, dove con filoſofia umana e divina ſi moſtrano le ragioni del dominio univerſale del ſommo pontefice ſopra tutto l'Univerſo temporale e Spirituale; e le ragioni de principi eccleſiaſtici e ſecolari ſopra i vaſſalli loro, con modo mirabile non inteſo da gli ſcrittori fin ora, per confonder gli eretici e ſciſmatici, e ſmorzare le diſcordie de' principi, con un diſcorſo delle ragioni che ha il Rè Catolico ſopra il mondo nuovo e altri regni d'infideli, contro coloro che di cio han ſcritto. Queſta tiene ſua ſantità. Extat etiam Pariſiis in San-Genovefiana inter codd. MSS. CC. 6. in fol. Extat Romæ in Caſanatenſi.

Ibidem iiſdem typis, eodem anno, & eadem forma prodierunt,

Diſcorſi della libertà e felice ſoggezzione allo ſtato eccleſiaſtico, dal medeſimo. Extat in eadem Caſanat.

6. La monarchia univerſale del Chriſtianeſimo, dove ſi moſtra a' principi criſtiani, che ſecondo la natura non hanno potuto i filoſofi trovar meglio modello di republica, che la monarchia in S. Pietro fonda-

ſondata, e la politica di tanti veſcovi e arciveſcovi e ſenato di Cardinali. Queſto libro e in mano del Cardinal di Sangiorgio. An quod Syntag. n. 17?

7. *Articoli profetali* 18. *de eventibus præſentis ſeculi: dove tra l'altre coſe ſi moſtra eſſer venuto il tempo, che s'adempiſca la profezia d'Abramo, e che dopo lunghi ſcompigli avvenuti a' mortali per la diverſità delle ſette e moltitudine di principati, ha da unirſi tutto ſotto una fede e un regno: e che tocca al Rè Cattolico di Spagna d'unire la monarchia aurea, e poſſeder l'ampiezza del mondo, come braccio dritto della Chieſa Romana, e che di cio abbia gran piacere il pontefice, e tutti i principi ſieno sforzati per ragioni à crederlo, e i popoli à volerlo.*

8. *Un libro ſegreto di diſcorſi della monarchia di Spagna, dove s'inſegna al Rè Cattolico il modo facile e preſto di aggiugnere a tal monarchia per via politica e profetale, e maniere ſante e mirabili, e ſi ſcuoprono molti errori, che ritardano la fortuna dell' imperio Spagnuolo. Queſto tiene lo Scioppio.* Eumdem cenſeo qui habetur Pariſiis in Regia MS. n.

 7710.

7710. hoc titulo: *Iſtruzzioni del Campanella al Rè Cattolico per arrivar alla monarchia univerſale.*

9. *Un diſcorſo a' prencipi d'Italia, che per bene del Chriſtianeſimo, e de loro ſtati non abboriſcano l'imperio Spagnuolo, e con che arte ſi poſſano aſſicurare della geloſia.* Habebat MS. Magliabecchi ſupra relatum n. 8.

10. *A Viniziani ragionamenti in ſpirito della rovina ſua propria e d'Italia, e del Criſtianeſimo, ſe Venezia perſiſte nella diſubbidienza di S. Chieſa cominciata dal principio del ſanto padre Paolo V.* Meminit Syntag. n. 50.

11. *Diſcorſi per ragion di ſtato della medeſima materia contra i Viniziani, dove ſi moſtra la rovina di Venezia e d'Italia e della criſtianità nella detta diſubbidienza perſiſtendo: e che ſe anche il pontefice concedeſſe quelle loro leggi impoſſibili, ella non guadagna, come penſa, ma perde di sforza, d'utilità e di dignità, e molto più ſe penſa d'ottenerle per forza, perderà lo ſtato e ſe ſteſſa.*

12. *Diſcorſi d'aſtrologia che monſtrano la rovina di Venezia, che piglia impreſe contro la coſtellazione in queſto tem-*

po,

po, e del vario uſo dell' aſtrologia.

13. *Una chiave ſegreta delle profezie della ſacra ſcrittura ſopre tutte le nazioni, ed in particolare dell' imminente rovina di Venezia.*

14. *Aforiſmi di politica e ammaeſtramenti politici.* An cujus meminit Syntag. n. 28?

15. *De epiſcopo liber.*

16. *Quæſtiones 50. de prædeſtinatione & gratia contra Molinam pro Thomiſtis.* Syntag. n. 26.

17. *Tragedia della regina di Scozia per la Spagna contro l'Inghilterra.* Syntag. n. 25.

18. *Della metafiſica ſecondo i ſuoi principii nuovi, tre parti, della poſſanza, ſapienza & amore, e de' loro oggetti, eſſenza, verità e bontà, e delle loro influenze magne, fato, armonia, e neceſſità.* Syntag. n. 37.

19. *De aſtronomia nova libri ſex contra Ariſtotelem, Ptolomæum, Copernicum & Teleſium demtis orbibus &c. Ex hoc auctor reformationem totius ſeculi ſperat, & in eo novum modum Kalendarii reformandi & reficiendarum tabularum aſtronomicarum oſtenſurum ſe pollicetur.* Syntag. n. 35.

20. *Un*

20. *Un epilogo magno di cio che ha filoſofato e diſputato intorno alle coſe naturali e morali.* Syntag. n. 24.

21. *Apologia pro philoſophis magnæ Græciæ ad ſanctum officium.*

22. *De philoſophia Pythagorica libri tres, verſu Latino Lucretiano.* Syntag. n. 8.

22. *De rerum univerſitate, juxta propria principia libri XX.*

24. *De inſomniis liber.*

25. *De arteriis, nervis & facultatum uſibus & motibus, contra medicos.* Syntag. n. 11.

26. *Un trattato grande dell' arte cavallereſca.* Syntag. n. 15.

27. *La citta del ſole. Item Dialogi della propria republica; quibus ideam reformandæ Chriſtianæ reipublicæ, quam SS. Vincentio, Brigittæ, Catharinæ Senenſi aliiſque multis pollicitus eſt Deus, delineat.* Recenſetur in catal. codd. MSS. Angl. T. II, P. I, n. 5385. vol. CXLVII. *Città del ſole di Fra Tom. Campanella* voluminis fol. 588. Meminit Syntag. n. 28.

28. *La cantica o volume di ſonetti e canzoni di varie republiche, regni, ed amici,*

amici, e ſalmodia della legge naturale e divina in tutte le coſe, e ſuoi lamenti, e profezie in nuovo modo di profetare. Syntag. n. 27.

29. *Un diſcorſo a' Viniziani richieſto da loro, ſe dovevan laſciar parlare in lingua ſtraniera e non Viniziana gli ambaſciadori Spagnuoli e Franceſi nel loro ſenato.* Syntag. n. 16.

30. *Tractatus duo. Cur ſapientes & prophetæ nationum omnium, in magnis temporum articulis fere omnes rebellionis & hæreſis, tanquam proprio crimine, notentur, mortique violentæ ſubjaceant, & poſtmodum cultu & religione reviviſcunt?* Syntag. n. 82.

Præter ſuperius relata extant in variis Bibliothecis ſequentes codd. MSS.

In catal. codd. MSS. Angl. T. I, P. I. n. 6659. *Calculus nativitatis D. Philberti Vernalti per Campanellam,* 176. 11.

Idem n. 6757 *The nativity of Sir Philibert Vernalti, calculated by Campanella in the Kings priſon at Naples. Latine* 176. 2.

Ibid. T. II. P. I. n. 5383 vol. CXLV. *Scrittura fatta in materia de*

de Ticol, da Fra Tommaſo Campanella.

Ibid. eod. vol. fol. 607. *Poëtica trattato del padre Fra Tommaſo Campanella.* Hujus poſterioris meminit Syntag. n. 20.

Ibid. n. 5385, vol. CXLVII. fol. 628. *Centocinquanta concetti dell' univerſa ſecente politica di F. Tom. Campanella.*

Alva Sol. Verit. Rad. 362. Col. 2196. agens de Campanella aſſerit ſibi miſſum fuiſſe anno 1664. ex civitate Granata exemplum authenticum manu notarii publici firmatum hoc titulo:

F. Thomæ Campanellæ O. P. pro eminentiſſimæ Dominicanæ religionis ejuſque Doctoris angelici gloria Apologeticus, in controverſia de conceptione B. Virginis, adverſus inſanos vulgi rumores ad Illuſtr. ac RSS. D. Gabrielem Cardinalem de Trejo. Princ. *Quoniam hac tempeſtate invaluit ſciolorum rumor contra illuſtriſſimam Dominicanam religionem, quaſi ſint adeo ſtupidi &c.* Addit Alva, auctorem ibi piam ſententiam ita defendere, *ut velit eam a Dominicanis ortum ha-*

habuiſſe, at operam diſcutiendo multas ſe in ea extravagantias animadvertiſſe. Penes quem fides, nam de ea quæſtione, ob reverentiam decretis pontificiis debitam, nolim agere. Meminit Syntag. n. 40.

Sequentia extant apud noſtros Pariſienſes ad S. Honorati ab auctore illis relicta:

Tractatus theologici MS. in papyro, volumina duo in fol. Cum autem typis non prodierint, aliunde opus ſit imperfectum, quinam libri his duobus voluminibus habeantur, placuit hic lectoribus patefacere, ut ſi qui apud alios ſerventur, ex iis opus completum componi poſſit. Libros viginti novem de rebus theologicis promiſerat auctor, ex quibus quinque priores nobis deſunt, ſed vol. I. adſunt.

VI. *De providentia, prædeſtinatione, electione, & reprobatione creaturarum.* In hoc libro palam declarat, ſe a doctrina S. Auguſtini & S. Thomæ in ſua Summa, & ejus diſcipulorum recedere, ſeque duplicem prædeſtinationem agnoſcere, unam quam vocat antecedentem ante prævisa merita, qua Deus

Deus omnes & ſingulos homines ad finem æternæ beatitudinis deſtinat; alteram quam appellat conſequentem, quæ prævifis cujuſque meritis, alios ſalvat, alios damnat.

VII. *De conſervatione & gubernatione hominum*, ubi multa de Angelis.

VIII. *De beatitudine ceu fine gubernationis.*

IX. *De virtutibus & vitiis in genere.*

X. *De virtutibus & vitiis in ſpecie.*

XI. *De virtutibus ſupernaturalibus, fide, ſpe & caritate.*

XII. *De donis & fructibus Spiritus Sancti & beatitudinibus.*

XIII. *De gratia gratum faciente.* In hoc doctrinam libro VI. allatam non ſolum confirmat, ſed & diviſionem gratiæ in ſufficientem & efficacem ita explicat, ut velit gratias ſufficientes omnibus & ſingulis hominibus dari, quibus alii libero arbitrio bene utuntur, alii eodem libero arbitrio reſpuunt: gratiam autem efficacem non aliam agnoſcit quam ſacramentorum, quæ operantur ex opere operato, ut loquuntur theologi.

XIV.

XIV. *De gratia gratis data.* Singulas explicat, ſed plura inſerit de divinatione ope dæmonum & de magia.

XV. *De legibus generatim.* Et hæc quidem primo noſtro volumine. Deſunt vero ſequentes ad vigeſimum incluſive. Altero volumine extant:

XXI *De geſtis Chriſti Dei Redemptoris.*

XXII. *De dictis Chriſti legiſlatoris & regis.* In hoc multis argumentis conatur adſtruere Chriſtum Dominum S. Petro ejuſque in ſede Romana ſucceſſoribus pleniſſimum dominium dediſſe ſuper univerſum orbem, non ſolum quoad ſpiritualia, ſed & quoad temporalia, juxta Ultramontanorum doctrinam.

XXIII. *De Chriſti legiſlatoris dictis, ſeu de lege evangelica.* Et hæc pars ſunt operis, quod ipſe auctor laudat in ſuo Syntagmate ſupra relato, Indicis primi ejus operum n. 39.

Hos tractatus in Italia ſcripſerat, at cum Pariſios venit, prælo dare auſus non eſt, ubi inſulſam ejus de prædeſtinatione & gratia doctrinam, & alias ejus extraneas & in Gallia non re-

ceptas opiniones viri eruditi non probarunt, illique ipſi rectæ fidei non conſentaneas eſſe ſignificarunt: quorum auctoritate preſſus, priorem de prædeſtinatione & gratia doctrinam quadantenus mollivit in ſua metaphyſica. Vide ſupra Indice III. n. 13.

Eſt & apud nos volumen III. MS. in quo primo ſunt *Reſponſiones ad objectiones Tobiæ Adami viri clariſſimi ſuper epiſtola Antilutherana.*

Nempe, ut ſupra dictum eſt, ab iſto Adamo in carcere Neapolitano viſitatus fuerat, & cum eo deinceps multa Litterarum neceſſitudine conjunctus fuit, ipſique in Germania degenti miſerat epiſtolam, quam ad philoſophos & principes Ultramontanos, præcipue Germanos, ſcripſerat, & cui titulum fecerat: *Epiſtola Antilutherana de inſtauranda prima religione.* Extat in opere ſequenti P. I. Reſpondit Adamus, Lutheranos hoc ſcripto parum urgeri, & eorum objecta Campanellæ miſit. Hæc itaque objecta diluit Campanella in hoc tractatu; ſed an typis prodierit, mihi incompertum. Implet 128. paginas in 4.

Eodem

Eodem volumine MS. extat 2 opus cui titulum indidit *Reminiſcentur & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ* Pſ. XXXI, quod ipſe laudat in Syntagmate n. 41. volumen quadripartitum:

I. P. *Legationes ad cœlicolas & Chriſtianos, ſacerdotes & reges.*

II. P. *Legationes ad præcipuos reges gentilium omnium nationum, Japonum, Sinenſium, Indiæ Orientalis &c.*

III. P. *Legationes ad Judæorum ſynagogas & proceres cujuſlibet diſperſionis, quam quadruplicem diſtinguit.*

IV. P. *Legationes ad Machometanos reges & ſectas.*

In iſto tractatu plura ſunt bona & eruditis utilia, ſed & quædam emendanda & reſecanda, ut ipſe auctor manu propria indicavit paſſim. Implet pp. 880 in 4.

APPENDIX IV.

TESTIMONIA DE CAMPANELLA,

I.

Gabriel Naudæus *libro I. Epigrammatum p. 15.*

Effigies miranda viri mirabilis iſta eſt,
Si modo Naturæ par fuit artis opus.
Nam geminas torquent oculi ſub vertice tedas;
Et caput in ſeptem ſcinditur areolas.
Scilicet ingenio potuit qui vincere cunctos,
Diverſam a cunctis poſſidet effigiem.

II.

Livinus de Meyer, *Societatis Jeſu theologus, qui ſub nomine Theodori Eleutherii Hiſtoriam controverſiarum de divinæ gratiæ auxiliis Antwerpiæ* 1705. *edidit, p.* 161.

Celeberrimus Campanella more ceterorum, qui contra hæreticos acie conflixerunt, non aliis armis expugnari poſſe Lutheranos exiſtimavit, niſi iis, quibus Bellarminus, Stapletonus, aliique victoriis clari, uſi adverſus eos fuerunt. Quamquam, ſi nupero Hiſtorico fides eſt, priorem, quam junior ſecutus fuerat, de gratiæ efficacitate ſententiam ſenior deinde deſeruit, lectis, ut ait S. Brigittæ revelationibus. Quis enim dubitet, hanc prædeterminationum ſyſtema revelationibus accepiſſe? Sed palinodiæ argumentum ab Hiſtorico prolatum audiamus &c.

III.

JACOBUS HYACINTHUS SERRY, *Ord. Prædicatorum*, *Doctor Sorbonicus*, *Hiſtoria de auxiliis Gratiæ an. 1709. Antwerpiæ edita*, *col.* 609.

CErte quod attinet Campanellam, liberum nobis eſſet, eum uti minus æquum controverſiarum Theologicarum arbitrum exſufflare. Quamvis enim eſſet ille, Philoſophus, Aſtrologus, Medicus præſtantiſſimus; inferioris tamen ſubſellii Theologus habebatur; liberioris, ne dicam audacioris ingenii vir, novitatibus plus ſatis indulgens: Ariſtoteli vero, cujus principiis, magna parte, volvitur doctrina Thomiſtica, adeo infenſus, ut aſſertiones ejus omnes *Aſinitates* appellaret, eumque (quod ridendum magis) nuſquam ab Angelico Doctore lectum effutiret. Quam vero hujuſce ſui commenti rationem afferret, audi lepidam ſatis atque feſtivam: quod nempe, ajebat ille, a Gentilium Philoſophorum lectione abſtinendum decernant

FF.

FF. Prædicatorum inſtituta, quorum erat obſervantiſſimus D. Thomas: cum tamen ignorare ipſe non poſſet, Doctorem Angelicum, magnam Ariſtotelicorum librorum partem eximiis Commentariis adornaſſe.

Mirandum immò, tanto nunc pretio apud Molinianos haberi Campanellam, quem non ita pridem curto vix aſſe licitabantur; jamque uti virum celeberrimum, ab iis ipſis in cœlum efferri, a quibus ante annos aliquot, tantum non in culinam detruſus eſt. *Tametſi viſus ſit*, inquit Theophilus Raynaudus, *per aliquod tempus Cymbalum mundi, tamen re vera eſt ignorantiſſimus; ita ut ne ipſos quidem terminos ſive Philoſophicos ſive Theologicos intelligeret. Sententias autem invehit, non modo a S. Thoma, ſed etiam a ſenſu cujusvis ſani hominis adeo abhorrentes, ut deſipere potius videatur, quàm diſſerere. Hæreſes craſſæ in ejus libris tam multæ & tam inexcuſabiles occurrunt, ut mirum ſit, adeo pinguem Scriptorem ſuperioribus annis invenire potuiſſe laudatores.*

Verum nihil iſta moramur, nec ejus de Doctrina Thomiſtica judicium refu-

gimus; modo quid de illa ultimo ſenſerit, rebuſque maturius tandem expenſis pronuntiaverit, perpendatur. Licet enim is, quo tempore junior ſcriberet, in ſuis contra Lutheranos opuſculis, de gratuita Prædeſtinatione, & Gratia à ſeipſa efficaci minus digne ſenſiſſet; ſenior tamen factus ac ſanior præproperam in ſentiendo feſtinationem caſtigavit. &c.

IV.

IV.

LIVINUS DE MEYER, *Hiſtoriæ de auxiliis gratiæ vindicatæ, & Bruxellis an 1715. editæ p. 184:*

THomam Campanellam inter phyſicæ prædeterminationis adverſarios adnotaveram. Miratur Hiſtoricus virum hunc objectum a me fuiſſe, tanquam fidum D. Thomæ interpretem; quem Theophilus Raynaudus & Palavicinus teſtantur a D. Thoma in plurimis diſſenſiſſe. Primum falſum, ſecundum impertinens eſt. Nam nec ego eum, in phyſicæ prædeterminationis oppugnatione, tanquam fidum D. Thomæ interpretem objeci; nec, id ſi feciſſem, Raynaudum & Palavicinum repugnantem haberem. Cum enim D. Thomas, ſecundum hos duos Auctores, phyſicas præmotiones minime docuerit, certe non aſſerunt Campanellam, hac in quæſtione, deſeruiſſe Magiſtrum ſuum, licet in aliis ab eo receſſerit. Convenit ergo mihi cum Raynaudo & Pa-

lavicino, ſublataque eſt Hiſtorico omnis materia admirationis.

Fatetur interim Campanellam, dum in Dialogo ſuo Lutheranos aggreſſus eſt, abjecto prædeterminationum clypeo, poſitiſque domeſticis armis, velut minus ad id bellum idoneis, Molinæ induiſſe loricam galeamque, unde certior ſperabatur victoria: quod mihi ad propoſitum meum probandum ſatis erat. Duo tamen decretoria, Campanellæ occaſione demonſtraſſe ſe ait lib. 4. cap. 22. (non 27. ut male citat) quæ tacitus præterire, quam refellere maluerim. &c.

FINIS.

S. Kende 2/XII. 95.

35462

—40